DE

ANE GRAECORUM

DEO.

DISSERTATIO MYTHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

KALENDIS MARTIIS A. MDCCCLXII

PUBLICE DEFENDET

ADALBERTUS PARMET

PRESB. CUR. MONAST.

MONASTERII

TYPIS ASCHENDORFFIANIS.

Dr. M. AULIKE,

IN MINISTERIO RES SACR. SCHOLAST. ET MEDICAS CURANTE REGI A CONSILIIS INTIMIS IN CLASSE SUPEPIORI, EQUITI CET. CET.

PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM

HASCE

LITERARUM SUARUM PRIMITIAS

D. D.

SCRIPTOR.

Praefatio.

Si verum est, quod nemo dubitat, naturam moresque populi alicujus ex mythis fabulisque optime cognosci posse, ad historiam rerum Graecarum cognoscendam penitusque perspiciendam, nulla res tanti momenti esse videtur, quam quas hanc apud gentem invenimus varias diversasque fabulas perscrutari atque perpendere. Nam sicut vita Graecorum ipsa et rei publicae forma libera et venustate decoreque prae ceteris excellit, ita etiam in fabulis eorum miram quandam varietatem negare non possumus, quae quidem tanta est, ut a summis perfectissimisque rebus usque ad minimas vilissimasque deorum numinibus omnia regantur atque gubernentur. Sed in hac ipsa fabularum varietate diversitateque, quae tam late patet, difficultates inesse necesse est, praesertim quum quaedam numina diversis populi moribus diversam naturam proprietatesque discrepantes receperint.

In horum autem deorum numero numerandus est Pan, qui quum in parvo, ut ita dicam, Graeciae angulo praecipue coleretur, et terrae et coeli proprietate rudibusque incolarum moribus, in formam cujusdam numinis agrarii redactus est. Sed si ad gentis, in qua Panem praecipue cultum esse memorant, naturam respiciamus, jam sua sponte suspicari licet, a principio atque antiquissimis deinceps temporibus numinis proprietates majoris momenti fuisse, quam in postero tempore, quo quum cultus aliorum deorum valeret, Pan in exiguum ab his atque angustum redactus est.

Quare quum de Pane Graecorum conscriberem, illud praecipue reputandum putavi, quae primitus hujus numinis natura fuerit, et quonam modo, quas in eo inveniamus, proprietates ex hac ejus natura emanaverint.[1]) Nam quae de compluribus hujus nominis diis apud Plutarchum de orac. def. p. 419. B. p. 715. Wyttenb. atque apud alios mythorum scriptores[2]) legimus, illa omitto, quoniam in unum ea convenire apparebit.

---

[1]) De Pane, omissis compendiis mythologicis, egerunt: Tiedemann. Sur le dieu Pan (in Memoir. de l'Acad. de Cassel. T. 1. p. 165.) Ed. Gerhard. del dio Fauno. Neap. 1825. Ed. Gerhard. Hyperbor. Roem. Stud. für Archäologie. Berlin 1852. T. II. Schröter: Ueber den Mythus des Pan. Saarbrück 1838. M. Motty: de Fauno et Fauna, sive Bona Dea ejusque mysteriis. Berl. 1840.

[2]) Nonnus Dionys. XIV. 87. Gerhard. Hyperb. Roem. Stud. II. p. 95. n. 17.

Primum igitur mihi, quoniam omnis disputatio ab origine incipiat necesse est, de vocabuli Pan etymo verba facienda sunt, deinceps autem, quum apud Aegyptios secundum Herodoti sententiam similem quendam inveniamus deum neque minus apud populos Asiaticos, priusquam de Pane Graecorum deo agamus, pauca de Mende Aegyptiorum atque de Pane Asiaticorum, de ejusque natura et cum Pane Graecorum similitudine praemittenda videntur.

Deinde vero ad naturam dei ejusque proprietates bene perspiciendas, mythum quo loco quibusque parentibus natus sit, quaeque corporis forma fuerit, breviter perstringere atque illustrare, res ipsa monet.

Natura autem ejus satis exposita, illud adhuc restare videtur, ut cum numinibus similis naturae comparetur, simulque quum Orphicorum de Pane doctrina a ceteris disjuncta atque diversa sit, quid de ejus qualitatibus proprietatibusque sentiant, explanare in animo est.

Denique Panem cum Fauno, Italorum deo, comparare similitudinesque eorum tractare, non solum deorum natura, sed etiam quodammodo nominum etymologia admonet.

Accedunt postremo, quae de morte Panis apud Plutarchum de orac. def. p. 419. B. p. 815. Wyttenb. et de Paniscis suo loco dicenda videntur.

Quae quum ita disposuerim, minime me effugit, in hac re tractanda maximas praeberi difficultates dissensionesque, praesertim quum quot quantique viri, rerum antiquarum cognitione longe praestantissimi eruditissimique, tam varie diverseque senserint, animo menteque perlustrarem. Quare ne audacior viribus meis insolentiorque fuisse videar, quum ad opus humeris meis gravius sustentandum aggrediar, haec monere velim, me et praeceptorum meorum adhortatione et rei tractandae delectamento ad id suscipiendum atque disponendum commotum esse.

§. 1.

De etymo vocabuli *Πάν*.

Sententiae scriptorum de etymo vocabuli *Πάν* tam variae sunt atque tantopere inter se discrepant, ut quam naturam quisque hujus dei fuisse contendat, eam ex vocabulo confirmare studeat.

Fuerunt enim, qui vocabulum ex lingua Hebraica ortum radicemque ibi quaerendam esse putarent [1]), alii vero, qui linguam Aegyptiacam hujus vocabuli germina continere profiterentur [2]) et ii quidem prae ceteris, qui connexionem quandam mythorum inter Aegyptios et Graecos fuisse putarent.

Sed his breviter praemissis, ad illos redeo, qui quamvis ex lingua Graeca ortum natumque illud vocabulum probare studeant, tamen de radice ipsa magnopere inter se dissentiant. Sunt enim et ii quidem, qui deum ipsum primitus Graecum esse contendant, qui dicant, radicem vocabuli esse *πάω* h. e. pasco, deumque nihil aliud esse, nisi pastorem [3]); alii vero et ii quidem optimo jure ut videtur, a *πανός*,

---

[1]) Quamquam illud, quod Blumius in libro, qui Herodotus et Ktesias inscribitur (Heidelb. 1836. p. 294) contendit, veritate nititur, Graecos Hebraeosque ex eadem quidem radice, non ex eadem familia ut ita dicam, eodemque stipite esse oriundos, tamen sententiam eorum non sequor, qui quod vocabulum in lingua Hebraica, Graeca, Latina, Gothica commune vel simile inveniant, hoc ex lingua Hebraica derivatum esse censeant, praesertim quum communi omnium linguarum radice omissa, hoc studium modo in errores maximos, modo in nugas inutiles aberrare possit. Sed si vocabulum *Πάν* ex Hebraica radice derivare velim, vel verbum »banah« h. e. aedificare, construere, prolem concedere, secundum quod *Πάν* genitor est, supponere possum, vel radicem »panan« unde »pēn«, angulus, metaphorice, dux, princeps derivatur, concludere licet. Sententiam Freinshemii vero, qui in supplementis ad Liv. libr. 84. (ed. Drakenborch. T. XIII. p. 189.) nomen Panis et Fauni ab Hebraeis desumptum esse putat, omittendam putavi, quoniam ad spectra tantum, mythologiam omnem pertinere censuerit.

[2]) Creuzer Symb. III. p. 232. ed. II. Legimus autem in antiqua papyri inscriptione, quam Brugsch.: »Die Adonisklage und das Linoslied.« Berl. 1852 edidit, querelam Isidis de Osiride certe venustissimam, quae optime cum querela Aphroditae de Adonide apud Bionem Id. 1. comparari potest. In quo quidem threno Osiridem bis Panu nominatum invenimus simulque hoc vocabulum quid sibi velit, declaratur vocabulo »lucens«. Maximam vero similitudinem inter Pan et Panu vocabula, nemo est, qui non videat, eaque de causa radicem linguae Aegyptiacae et Graecae communem *Πάν* statuere licet, quae lucidum quid declaret. Nam cum iis non consentio, qui hac similitudine vocabulorum permoti, vocabulum *Πάν* Aegyptiacum esse velint, quamquam negare non possum, utramque linguam ad radicem quandam communem in hoc vocabulo formando pertinere.

[3]) Siebelis ad Paus. VIII. 38. T. III. p. 323. »Nomen Panis videtur a *πάω*, pasco fluxisse.« Vossius ad Verg. Ecl. II. p. 70. Preller Gr. Myth. p. 458. Schwenk Myth. d. Griech. T. 1. p. 272. Pott. Etym. Forsch. 1. 191. Heffter

φανός, *φαίνω* derivatum esse, atque ex etymo jam antiquissimam dei naturam elucescere putant.[1]) Magni autem momenti videtur esse, quod, quam deus ipse naturam luminis obtineat, vocabulo ipso jam ostenditur.

Quod tamen adtinet ad etymologiam illam, qua scriptor hymni, quem vocant Homericum (XVIII. 47) eum ita appellatum esse vult, *ὅτι φρένα πᾶσιν ἐτέρψεν*, hanc omnino jam omittam, quum allegoriam quandam atque vocabuli significationem ex fabula explicandi studium prae se ferat. Eadem praeterea de schol. Theocr. 1. 3. dicenda sunt, qui Pani ea de causa nomen inditum esse declarat, quod *υἱὸς Πηνελόπης καὶ πάντων τῶν μνηστήρων* fuerit. [2])

Neque minus etiam illud hoc loco praetermittere, alio autem proferre, in animo est, quod de Orphicis scriptores antiqui narrant, Panem deum ea de causa ita nominatum esse, quod totum, ut hoc vocabulo utar, universum sive totum mundum complectatur, rerumque omnium germina naturumque in se contineat. [3])

Sed qua re commotus sim, ut vocabulum *Πάν* derivatum esse a *φάω*, *φαίνω* putem, illud suo loco, quum de natura dei verba faciam, fusius explicabo, pauca tamen conmemorare placet quae hoc loco jam memoratu digna videntur.

In mythis autem veterum populorum cognoscendis primitivam alicujus numinis naturam perspicere, ex qua quod ad nomen adtinet ple-

---

Relig. der Griech. II. 325. Ilgen ad hym. Hom. p. 301. *Πάν* dorice putat dictum esse pro *παών* a radice *πάω* i. e. quatio terram, deinde nutrio, fruendum praebeo, adjuvo, ita ut *Πάν* idem sit ac *παιάν*. Sed radice illa obscura praetermissa, forma *παιάν* ipsa jam est dorica, ita ut *Πάν* ex Ilgeni sententia sit dorica forma formae doricae. Sed haec omittenda esse puto.

[1]) Pollux. X. 117. Hesych. II. p. 483. Phot. Lex. p. 275. Schwenk Etym. Myth. And. p. 213. Creuzer Symb. III. 232. Welcker Griech. Götterl. p. 454. Littera *φ* vero saepius in *β* vel *π* commutatur, ut apud Macedones pro *Φερενίκη*, *Φίλιππος*, *Φρύγες* dicitur *Βερενίκη*, *Βίλιππος* vel *Πίλιππος*, *Βρύγες*. Plut. Quaest. Gr. IX. Etiam in aliis saepe vocabulis *φ* in *π* commutatum legimus, ut *ἀσπάραγος* pro *ασφάραγος*, *λίσπος* pro *λίσφος*; *σπόγγος* pro *σφόγγος*; *σπονδύλη* pro *σφονδύλη*; *πέλα* pro *φέλα* dicitur; de qua commutatione, Lexica plura afferunt.

De vocabulo *πανός* pro *φανός* cf. G. Hermann. ad Aesch. Agam. 269. T. II. p. 391. atque Gerhard Hyp. Roem. Stud. II. p. 103. n. 54, et quae de vocabulis *φάω*, *ἄω*, *κάω* proferuntur; atque ejusdem scriptoris: Archaeol. Nachlass aus Rom. Berlin 1852. p. 82. Forma vocabuli *Πάν* contractione ex *πάων* (*φάων*) orta esse videtur, sicut *Ποσειδάν* ex *Ποσειδάων* (Ahrens: de dial. dor. p. 26. not. 3. p. 198; de dial. aeol. p. 14. p. 123. not. 8.) Nam nomina antiquitus in *αων* exeuntia et dorice et aeolice contractionem in *αν* patiuntur, ut *Παιάν* pro *Παιάων*; *Ἰάν* pro *Ἰάων*; *Ἀλκμάν* pro *Ἀλκμάων*, *Ποσιδάν* pro *Ποσειδάων*. (Ahrens de dial. aeol. p. 102.) Quod ad accentum adtinet, locos grammaticorum de hac re apud Ahrens de dial. aeol. p. 233. et de dial. dor. p. 26. c. n. invenies.

Forma *Δάν* (Ahrens de dial. aeol. p. 175. p. 88.) vel *Ζάν* (Ahr. de dial. dor. p. 139. p. 241.) non ex contractione orta videtur, sed sicut nomina populorum in *ην* exeuntia, dorice *αν* finiuntur, ut *Αἰνιάν*, *Ἀκαρνάν Τροιζάν* (Ahrens de dial. dor. p. 135.) sic etiam *Δάν*, *Ζάν* pro *Ζῆν* in dialectis dictum esse puto.

[2]) Ahrens. Bucol. Graec. rel. T. II. p. 35. n. 15.

[3]) Cum schol. Theocr. Id. 1. 3. qui de Pane ita disserit: *οἱ δὲ λέγουσι διὰ τοῦτο Πὰν, ὅτι τῆς φορᾶς ἐστι σημεῖον, τοῦτ᾽ ἐστι τοῦ παντὸς ὅθεν κυρίως προσαγορεύεται Πάν*, consentit Serv. ad Verg. Ecl. II. 34. Sil. Ital. XIII. 332. Macrob. Sat. 1. 22. Porphyr. ap. Euseb. Praep. Evang. VI. p. 114. Cornut. de nat. deor. XXVII. Isid. Orig. VIII. 20; qui omnes illam Orphicorum doctrinam obtinent nomenque *ἀπὸ τοῦ παντός*, derivatum esse censent. cf. Lobeck. Aglaoph. p. 487.

rumque etiam etymologia magis clara perspicuaque efficitur, maximi momenti esse videtur. Plurimi autem antiquorum mythorum scriptores in Panis natura primam fuisse qualitatem constituunt, ut gregibus praesit eaque de causa etiam vocabulam a radice *Πάω*, quam latine pasco vertunt, ficta derivatum esse volunt. Attamen si ad nexum similitudinemque, quae inter cultum Graecorum religionemque populorum aliorum praecipue orientalium, quem obiter supra commemoravi et mox fusius explicabo, intercedunt animo respiciamus simulque perpendamus antiquissimum Arcadum atque Atticorum praecipue cultum solarem quendam fuisse, fortasse non errabimus, si in Pane quoque hanc vim solarem igneamque fuisse putemus. Accedit autem quod ex certis testimoniis probari potest, Panem etiam apud Arcades multis qualitatibus ornatum fuisse, quae nisi ex solari ejus natura explicari non possunt. [1])

Quae quidem qualitates praecipue ad artes Musarum, quas vocant, spectant. Quare Paus. VIII. 37. 8. Panem inter summa numina refert, quum de eo dicit: *θεῶν δὲ ὁμοίως τοῖς δυνατωτάτοις καὶ τούτῳ μέτεστι τῷ Πανὶ, ἀνθρώπων δὲ εὐχὰς ἄγειν εἰς τέλος καὶ ὁποῖα ἔοικεν ἀποδοῦναι πονηροῖς.* Pertinet huc quoque quod eum oracula tradere scriptores narrant. Schol. Pind. arg. Pyth. p. 483. Heyn. schol. Stat. Theb. III. 480. Quod vero ad cultum Atticum pertinet, magni praeterea momenti esse videtur, quod Epimenides, qui cultum Panis circa Olymp. XXXXVI. (596. a. Ch. n.), Athenis instruxisse dicitur, id quod postea explicare studebo, sive fabulam ipse Athenis recepit, sive secum ex Creta insula Athenas tulit, Panem filium Jovis et Callistus nymphae fuisse docuit, schol. Theocr. 1. 3. Ambo tamen numina et Zeus et Callisto illa naturam quandam aethereum prae se ferunt et si Pan filius eorum dicitur, etiam eum naturae parentum participem esse, necesse est.

Quae quum ita se habeant, quum primitiva hujus numinis natura ad solem lucemque spectet, quid est cur dubitemus, hoc vocabulo quoque exprimi, nomenque *Πάν* de *πανός* sive *φανός* derivandum esse. [2])

Sed jam his breviter de etymo vocabuli *Πάν* praemissis, ad quaestionem quibus locis cultus dei divulgatus fuerit, solvendam aggredior, atque quum apud Aegyptios deum inveniamus, secundum naturam non minus, quam formam Panis omnino similem, tractandum esse puto, quae fuerit hujus Panis Aegyptii natura, quantumque ad Panis apud Graecos significationem explicandam contulerit.

---

[1]) Quod ad solarem naturam deorum Arcadum spectat, hoc praecipue de Jove valet, quem cum Hermete et Pane praecipue venerari soliti erant atque *Λυκαῖον*, Paus. VIII. 2. 2; 38. 2; 53. 5. atque *Ἐπιδιότην*, Paus. VIII. 9. 1. nominabant. Sed etiam Hermes et Callisto luminis natura excellunt, atque Pan ipse *Λυκαῖος* appellatur. Paus. VIII. 31. 2.

De solari sive ignea natura Athenae atque Hephaesti apud Athenienses, cf. Welcker Trilog. p. 279. Dionysus vero *Λαμπτήρ* Paus. VII. 27. 2. *πύρπολος* Lycophr. Cass. 212. *φλέγων ἀγλαῶπι πεύκᾳ* Soph. Oed. T. 214. nominabatur.

[2]) Haec quae commemoravi etiam contra sententiam eorum valent, qui vocabulum Pan a *βαίνω.* i. e. coitum habere, derivatum esse putent. Nam etsi *β* sapius cum *π* commutatur; ut in *πατεῖν* et *βατεῖν* et aliis ejusmodi, de quibus Lexica conferunda sunt, tamen qualitas, ad quam vocabulum pertinere volunt, secundaria quaedam est, quae ex ea, quam supra commemoravi, sua sponte sequitur, neque ex causis, quas proposui, prima praecipuaque in Panis natura fuisse potest.

§. 2.

De Pane Aegyptiorum, quem *Μένδης* vocant.

Apud Herodotum II. 46 legimus: *τὸν Πᾶνα τῶν ὀκτὼ θεῶν λογίζονται εἶναι οἱ Μενδήσιοι. κ. τ. λ.* deinceps: *καλέεται δὲ ὅτε τράγος καὶ ὁ Πὰν Αἰγυπτιστὶ Μένδης;* cum qua Herodoti narratione Diod. 1. 18. 20. convenit, qui Aegyptios Panem prae ceteris diis coluisse commemorat, quod praecipue ad incolas Meroës urbis pertinere videtur, cf. Diod. III. 9. 20.

Ex his autem locis constat, Aegyptios deum, quem Mendes vocant, veneratos esse, qui cum Pane Graecorum ex sententia Herodoti comparari possit, et quem Diodorus l. c. Panem nominet. [1]) Qui cultus tamen quantopere in Aegypto divulgatus fuerit, ex eo jam satis superque colligi potest, quod complures urbes ipsi deo sacratae erant, ut Mendesia, Hermopolis, Chemmo, quam Graeci scriptores Panopolin appellare solent. [2]) Immo vero in adjacentes terras usque ad Indiam hujus dei cultus progressus esse videtur; [3]) atque in ora maris rubri urbs, quae *Πανὸς κώμη* nominabatur, sita erat. Steph. Byz. s. v.

Sed hoc loco quaerendum est, quis ex religione Aegyptiorum ille Mendes fuerit, quod quidem ex sententia scriptorum veterum satis certe colligi non potest. [4])

Nam Plutarchus de Is. et Osir. p. 203. et Diodorus 1. 18. Panem et Osiridem eundem deum esse contendunt neque aliud discrimen constituunt, nisi quod ex ratione venerationis prosequitur; Osiridem Mendesiae sub effigie capri, Memphide sub tauri effigie esse adoratum.

Alii Mendem sive Panem in pugna contra Typhonem commissa Osiridem adjuvisse ferunt. Aegipan dicit Appollodorus 1. 6. et Hyginus Astron. II. 28. p. 480 Staver. quum Typhon vehementer deos aggressus esset eosque fugasset in Nilum sese conjecit et semicaper semipiscis salutem in fuga quaesivit. [5])

Sunt etiam, qui dicant, Mendem cum Hermete, quem Aegyptii Anubin sive Thoth vocant, et natura et indole eundem deum esse. [6])

Sed jam omnes has diversas opiniones omitto et me ad naturam Mendis ipsam explicandam converto. Inter omnes autem constat, apud Aegyptios octo deos superioris ordinis ab initio temporum omnium rerum auctores fuisse, qui quamvis ipsi *θεοὶ νοητοί* non cognoscerentur nisi sola ratione, tamen principia cujusvis luminis essent. [7]) In horum numero etiam Mendes Pan numeratur, qui nihil aliud est, nisi lumen illud, ut ita dicam primitivum, aether igneus, quem Ovidius vim igneam (Met. 1. 26.), nominat, ex qua cetera mundi lumina emanasse videntur. Quae quidem opinio magnopere augetur etymo voca-

---

[1]) Lucian. de sacrif. XIV. Suid. s. v. *Μένδην.*

[2]) Pind. frag. 112. (179.) ap. Strab. XVII. p. 555. H. Diod. 1. 18. Voelker Myth. d. Jap. p. 231.

[3]) Creuzer Symb. III. 235.

[4]) Variae de hac re sententiae inveniuntur apud Eckermann: Religionsg. u. Myth. I. p. 755. s. atque Gerhard. Hyperb. Roem. Stud. II. p. 92. n. 6.

[5]) cf. Salmasius Exercit. Plin. 1. p. 413.

[6]) Creuzer Symb. III. 324. cf. 1. 365.

[7]) Herodot. II. 46. *τὸν Πᾶνα τῶν ὀκτὼ θεῶν λογίζονται εἶναι.* De cultu octo deorum cf. Görres Myth. p. 369. Creuz. Symb. 1. 293.

buli *Μένδης*, quod fecunditatem prolificam naturae et praecipue solis significat. [1])

Quare facili negotio intelligi potest diversa illa veterum scriptorum sententia, qui Mendem modo Osiridem, modo Hermetem, modo Heraclem sive Esmun esse volunt, quum omnes, quos nominavi, quodammodo inter se conjuncti arteque connexi sint.

Nam illud lumen primitivum ex se lumina minora solem, lunam, stellas gignit, simulque cum his ipsis commutatur. [2])

Itaque si naturam Mendis paucis explicare volumus, nihil aliud esse videtur, nisi aether igneus, sive primum lumen, quod ratione tantum percipi potest, quodque ex se lumina minora gignit, quae ex illo orta in unum lumen primum redeunt eoque reguntur. [3])

Quare etiam septem planetae, quae in coelo fulgent, a Mende reguntur viamque constitutam percurrunt, atque principium et fons itineris est ipse Pan Mendes. [4])

Duplex igitur munus Mendis distingui potest duplexque natura, quum in coelo principium motionis, in terra vero deus, qui semina et germina rerum tribuat, esse videatur. Itaque si verum est, quod complures viri docti contendunt, religionem Phoenicum in Aegyptiorum fabulas confingendas multum valuisse, in Mende duplicem cultum, quum siderum, tum Baalis atque Astartis invenimus, qui cultus cum antiquissimo animalium cultu intime connexus conjunctusque esse videtur. [5])

Ex hac vero dei natura, quod germina rerum seminaque in terram profundat, apparet, cur Aegyptii eum sub forma capri sive capricorni fingere solebant, id, quod Herodotus l. c. praetermittit, quoniam pudorem viri modesti atque severi offendat. [6]) Sed etiam in coelo sub imagine capricorni lucet atque Hyginus [7]) contendit, apud Aegyptios imaginem jam notam fuisse, qua stella capricorni semicaper et semipiscis fulgeret. [8])

§. 3.

De Pane Asiatico.

Sicut in Aegypto etiam in Asia antiquis jam temporibus cultum Panis reperimus, et si ex fabulis, quas legimus, conclusionem facere licet, non possumus, quin eum numen quoddam in illis terris primitivum qualitatibusque multo sublimioribus, quam tempore posteriore ornatum fuisse putemus.

---

[1]) Movers Phoen. 1. p. 649. Creuz. Symb. 1. p. 477. Ed. Röth. in libro, qui inscribitur: Die Aegypt. u. Zoroastr. Glaubenslehre. Manh. 1846. p. 64. n. 111. vocabulum Pan ex lingua Aegyptiaca profluxisse, atque »emanans, transmigrans, effusus« significare contendit. In mythis Aegyptiis autem Panem modo »patrem solis« modo »vim procreativam« (emanirter Schöpfergeist) p. 72. n. 117. et p. 140. modo Cupidinem illum Hesiodi antiquum p. 284. fuisse dicit.

[2]) Macrob. Sat. 1. 21.

[3]) Creuzer Symb. IV. p. 244.

[4]) Hug: Untersuchungen über die Myth. ct. p. 234.

[5]) Movers Phoen. 1. p. 40. s. 50. s.

[6]) Pind. frag. 112. (179.) ap. Strab. XVII. p. 555. cf. praeterea, quae Hug. Myth. d. A. W. p. 142. et Movers Phoen. 1. p. 42. de cultu Mendis proferunt.

[7]) Hygin Astr. II. 28. p. 480. St.

[8]) Creuzer Symb. III. p. 233.

Quod quidem ad Phrygiam pertinet, magni momenti videtur esse, quod Hyagnidem, qui fistulam invenerit, ea matrem deorum, Dionysum, Panem cecinisse, relatum legimus. [1]) Quae quidem Panis cum Cybele conjunctio saepius commemoratur, atque nisi ex quadam naturae similitudine declarari non potest. [2])

Accedit eodem, quod Pani pinum sacram fuisse legimus, quae arbor in cultu Cybeles prae ceteris valet. [3]) Denique certamen illud saepe a scriptoribus veteribus commemoratum, quod inter Panem et Apollinem commissum esse tradunt, ad fabulas illas Phrygicas pertinere videtur. [4])

Etiam in Troade Panis cultus antiquo tempore cognitus erat, et sine ulla dubitatione mythus secundum quem Pan Apollinem artem vaticinandi docuit, ad fabulas Apollinis Thymbraei spectat. [5]) Quae quidem sententia genealogia quadam Panis, secundum quam mater ejus Thymbris nominatur, aucta atque fulcita videtur. [6]) Denique apud Ptolemaeum invenimus, Panem inter viros Achillem pulcherrimum declarasse atque ea de causa a Venere in formam foedissimam commutatum esse; [7]) quam fabulam in agro Troico ortam esse apparet.

Quot praeterea in mythis Graecorum fabulae ex Asiaticis desumptae atque ex more Graecorum conformatae deinceps quasi patriae quaedam, quarum origines latebant, a posterioribus habitae sint, omnino declarari atque perspici non potest. Attamen quum quas supra commemoravi fabulas postea etiam inter Graecas inveniamus, fortasse concludi licet, alias praeterea, quarum originem nescimus, ex fabulis Asiaticis desumptas esse.

Haec habui quae de Pane Aegyptiorum atque Asiaticorum praemittenda videbantur, ex quibus apparet, Panem apud hos populos non solum deum pastorum, sed naturam ejus sublimiorem quandam elatioremque antiquitus fuisse.

§. 4.

De Pane Graecorum.

Quod ad Panem Graecorum adtinet, multi et ii quidem doctissimi viri, deum primitus Graecum esse volunt, qui paulatim ex Arcadia per totam Graeciam divulgatus sit.

Itaque C. O. Müllerus haec fere dicit: Die Betrachtung einzelner Mythen zeigt die Natur der Gegend wo sie entstanden, und daher schliesse ich, dass ein Hirtenvolk sich seinen höchsten Gott, der ihm Alles ist, in der Gestalt des Pan dachte. [8])

Cum hoc vero J. H. Vossius consentit: Dieser zuerst von Epimenides genannte Ziegenfüssler kam nicht lange vor der Zeit, da der

---

[1]) Marm. Oxon. p. 21. Chandler. Aelian. V. H. III. 33. Clemens. Strom. 1. p. 307. Spanhem. ad Callim. in Dian. 245. p. 346. Ern.
[2]) Böckh. ad Pind. frag. 63. Winckelmann ad Plut. Erot. p. 173. (Turici 1836.)
[3]) Luc. dial. deor. 22. Ovid. Met. 1. 699. Propert. 1. 18. 20. Tibull. II. 5. 27. Sil. It. XIII. 331. Voss. ad Virg. Ecl. VII. 24.
[4]) Höck Creta 1. 134.
[5]) Apollod. 1. 4. 1. Klausen Aeneas u. d. Pen. 1. 185. Rückert Troja p. 88. 91.
[6]) Apoll. 1. 4. 1. Tzetz. ad Lycoph. 766.
[7]) Rückert Troja. p. 146.
[8]) C. O. Mueller. Prol. z. ein. wiss. Myth. p. 105.

Mendesische Bocksgott der Aegypter unter den Griechen berühmt ward, aus der Dunkelheit eines Arkadischen Felddämons zur allgemeinen Anerkennung. [1])

Multi praeterea eandem de Pane sententiam defendunt, quos brevitatis causa omitto. [2]) Nituntur autem omnes, qui opinionem illam defendunt, Panem primitus Graecum esse deum, testimonio Pausaniae: ἔστι καὶ ναὸς Πανὸς ἅτε τοῖς Ἀρκάσιν ἐπιχωρίου; [3]) et Herodoti, quod legimus VI. 105; secundum quod Athenienses post pugnam Marathoniam Panem tamquam ex Arcadia adscitum colere coeperunt.

Sed ne dicam de conjunctione, quam ex antiquissimis temporibus inter Graecos atque Orientis populos viguisse constat, [4]) demonstrari certe nequit, quomodo, si cultus Panis ex Arcadia ad ceteros Graecos translatus sit, tam brevi temporis spatio tantopere divulgatus sit, ut non solum Athenienses, sed etiam Macedones, [5]) Thessali, [6]) atque insulae eum receperint. Praeterea neque illud apparet, quomodo factum sit, ut cultus Panis apud Tuscos et Umbros antiquitus floruerit. [7])

Quare ex hac tanta cultus religionisque apud antiquissimos populos atque in terris maxime remotis propagatione, Panem commune quoddam solare numen vocare licet, quod sub diversis nominibus eandem naturam exprimat, atque in Graecia apud eas praecipue nationes, quae mores institutaque antiqua diutissime retinuerint, etsi religione recentiore magis magisque in deterius viliusque redactum sit, tamen qualitatum antiquarum quasi notam atque memoriam conservaverit. [8]) Atque ex ipsa Graecorum fabula satis firma testimonia afferre possumus, quae lucide declarent, apud Graecos antiquissimam illam imaginem effigiemque Panis, secundum quam eum numen quoddam solare

---

[1]) Voss. Myth. Br. p. 78. Contra hanc Vossii sententiam inter multos praecipue locus Paus. VIII. 37. 8. 9. repugnat. Quare multi putaverunt, Panem h. l. exhiberi, qualem Aegyptii cogitaverint. cf. Abhandl. der hist. phil. Klass. der kön. Preuss. Acad. 1820. 21. p. 125.

[2]) Schwenck Etym. Myth. And. p. 213. Myth. d. Gr. 1. p. 275. Preller Gr. M. p. 248. Schröter Myth. d. Pan. p. 1. Curtius Gr. Gesch. T. 1. p. 48. Dunker Gesch. d. alt. W. III. p. 22. Tiedemann: Sur le Dieu Pan. Memoir. de l. soc. des antiqu. de Cassel. T. p. 165.

[3]) cf. praeterea Athen. XV. p. 694. Anthol. Plan. IV. 232. p. 286. Tauch. ubi Pan Ἀρκάς nominatur, atque Ἀρκαδίας μέδων κλεεννᾶς. Dion. Hal. II. 59. Aesch. Pers. p. 146. Blomf.

[4]) Quem nexum prae ceteris Herodotus II. 145. defendit, ita ut tempus, quo Pan in Graeciam perlatus sit, annis adeo computet. Dicit enim l. c. de cultu Herculis, Dionysi, Panis, atque Graecos genealogiam deorum inde incipere solere contendit, quo tempore eos cognoverint. cf. II. 146. Quare si tempus Herodoti circiter annum 454. a. Christ. n. statuimus, cultus Panis, quem ante octingentos annos (κατὰ τὰ ὀκτακόσια μάλιστα ἐς ἐμέ) natum fuisse contendit, anno 1254 a. Chr. n. in Graeciam pervenit. cf. Fischer: Griech. Zeittafeln p. 9. (Troj. Aera,) cf. praeterea de nexu illo. Movers. Phoen. 1. p. 51. Höck Creta. 1. p. 47. Creuzer. Symb. II. 283. 467. IV. 151. 300. Heyne ad Apollod. 1. 2. Welcker. Ep. Cycl. p. 235. Sed non consentio cum sententia, qnam Gfroerer: Urgeschichte des menschlich. Geschlechts II. p. 372. profert, aliquos deos, inter quos etiam Panem nominat, Graecis quasi quodam imperio Aegyptiaco, atque vi oblatos esse. cf. l. c. II. p. 379.

[5]) Lobeck Aglaoph. p. 293.

[6]) Gerhard. Gr. Myth. 1. p. 532.

[7]) Sil. Ital. V. 7. Martial. IV. 25. 3. cf. Gerhard Etrusc. Spiegel. 1. 92. 5. Hyp. Roem. Stud. II. p. 91. 2.

[8]) Consentio vero cum sententia, quam Röth in libro, qui: Die Aeg. u. Zoroast. Glaubenslehre. Manh. 1846 inscribitur p. 284 profert: »Pan ist ein alter Götterbegriff, den die spätern Griechen in ihre Götterreihe nicht mehr so recht einzuordnen wussten.«

declaravimus, remansisse, nec possum quin breviter de iis mentionem faciam, quum artam illam pristinam connexionem clariorem etiam reddere magisque dilucidam, in aperto sit.

Nam ne dicam hoc loco de genealogia Panis apud Epimenidem, [1]) atque de mytho Heraclis, qui solare quoddam numen repraesentat et cum Pane intime cohaeret, [2]) ne dicam de monte *Λάμπεια*, in quo Pan praecipue colebatur (Paus. VIII. 24. 2.), qui mons etiam etymo ad ignem respicit, atque de aliis hujuscemodi, quum alio loco de his verba facere in animo sit, instituta quaedam ex ipso Graecorum cultu proferam, quae verum esse, quod contendi, satis confirment. Legimus enim in templo Panis ignem perpetuum accensum esse, [3]) in ejusque honorem cursum cum facibus institutum. Omnia autem numina, in quorum honorem tedae facesque incenduntur, ut Athene, Prometheus, Artemis, Dionysus quasi quoddam lumen repraesentant aut hominibus lucem obtulerunt. [4]) Quod quidem magnopere confirmatur, si Panem cum Prometheo conjunctum invenimus, qui primus hominibus ignem raptum attulit atque ea de causa Lucifer nominabatur. [5])

Sicuti vero Prometheus naturam ignis repraesentat, sic etiam Panem numen quoddam solare fuisse propter artum cum Prometheo nexum non est cur dubitemus. Sin praeterea quod Plutarchus commemorat, [6]) Paniscum quemdam, ignem a Prometheo raptum, amplexum esse, consideramus, non possumus quin illum Paniscum elementum quasi cognatum complexum esse, putemus.

Praeterea etiam in templo Jovis Lycaei effigiem Panis [7]) atque Lycoae in urbe, in qua praecipue fistula canebat, templa ejus invenimus. [8]) Vocabula vero *λύκος* et *λύκη* initime cum solis sive luminis cultu cohaerent, quod et multis Graecorum scriptorum testimoniis [9]) et hoc confirmari potest, quod et Zeus et Apollo *Λυκαῖος* latine Lucetius nominantur. [10])

---

[1]) Schol. Theocr. 1. 3. *Ἐπιμενίδης δὲ ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ Διὸς καὶ Καλλίστους (Πᾶνα εἶναι λέγει).*

[2]) Procl. ad Hes. p. 168.

[3]) Paus. VIII. 37. 8. cf. V. 15. Herod. VI. 105. In nummis saepius Panem facem gestientem invenimus. cf. Gerhard. Hyp. Roem. Stud. II. p. 102. n. 52.

[4]) De *λαμπαδοδρομία* ejusque inventore cf. Hygin. P. A. II. 15. de modo atque ratione et quo loco facta sit, Aristoph. Ran. 1089. Plato de repub. 1. 328. A. B. Photius lex s. v. *λαμπάς*; de diis, in quorum honorem cursus cum facibus habitus sit, Welcker Tril. p. 121. n. 150. Böckh. Staatshaus. 1. 496.

[5]) Eurip. Phoen. 1137. Pertinet huc quoque, si Panem cum Hephaesto in sarcophago quodam ad incudem conjunctum invenimus. Welck. Tril p. 77. Eandem autem sententiam effigies quaedam habet, in qua Pan curru Helium et Selenen vehit. Welcker Gr. Vaseng. Tab. X. Gtting. 1851.

[6]) Plut. de cap. ex hist. ut. p. 86. Prometheus l. c. Paniscum ne ignem tangat, exhortatur verbis: *τράγος γένειον ἆρα πενθήσεις σύ γε.*

[7]) Paus. VIII. 31. 2.

[8]) Paus. VIII. 36. 5.

[9]) Plat. de repub. VIII. 15. p. 565. et Minos p. 315. Callimach. hym. in Jov. 4. Plin. n. h. XI. 37. 55. Eustath. ad Hom. Odyss. XIV. 161. Macrob. Satur. 1. 17. 36.

[10]) De Jove Lucetio cf. Welcker Gr. Götterl. 1. 210. de Apolline Lucetio cf. Welcker l. c. p. 576. Jovem Lucetium ab Naevio in libris belli Punici appellatum esse, commemorat Gellius V. 12. 7. Jam antiquo tempore discrimen erat, utrum *Λυκαῖος* a *λύκος* lupus, an a *λύκη* splendor, derivari possit. Si Sophocles Elect. 6. Apollinem *λυκόκτονον θεόν* nominat, etymologiam vocabuli *Λυκαῖος* sequitur, qua de vocabulo *λύκος* lupus derivatur. cf. Paus. II. 9. 7. Etiam Artemis *Λυκαῖα* appellatur. Paus. II. 31. 6. Fortasse, ut ait Pausanias a lupis, sed verius a *λύκη* splendor. Quod vero Artemis sive Callisto in forma feminina, ut ita dicam, Arcadibus erat, id Pan in masculina.

Sed hoc loco etiam pauca de Lycaone commemorare placet, (Ovid. Met. 1. 214 s.) qui nomen certe a λύκη duxit. (Macrob. Sat. 1. 17.) Quod ad mythum pertinet, negari certe non potest, etiam in eo naturam lucis praevalere, quamquam ex fabulis, quas apud Ovidium legimus, minime consequi videtur. Etymi enim ne mentionem faciam, quum alii Ovidio duce ad λύκος, lupus vocabulum pertinere censeant, invenimus in fabulis ejus filiam esse illam Callisto, quae postea in ursam commutata esse narratur; (Apollod. III, 8. 2.) atque intime cum Artemide conjungitur. Callisto autem jam nomine naturam lucis exprimit, quum vocabulum καλός quasi quandam lucis proprietatem significet. Praeterea Arcades ad Lycaonem complura vitae cultioris inventa referunt, (Paus. VIII. 2. schol. Lycophr. 481.) quae praecipue ad numina solaris naturae, ut Apollinem aliosque referri solita sunt. Ex his quidem jam concludi licet, id quod etiam etymo vocabuli Lycaon confirmari potest, significari hoc nomine proprietatem quandam lucidam. Sin autem Panem filium hujus Callistus fuisse legimus, (schol. Theocr. 1. 3.) quid est cur dubitemus, etiam in eo inesse lucidam illam atque solarem naturam. Quodsi autem filius ex illa Callisto natus Majae educandus traditur, (Apollod. III. 8. 2.) quae ex se Hermetem progenuit, (Apoll. III. 10. 2. Eustath. ad Odys. XIV. 435. 482.) qui Hermes pater Panis vocatur (hym. Hom. in Pan. 34.) his fabulis, quae minus clarae atque perspicuae sunt, tamen ad solem ejusque vim, quae res terrenas gignit atque procreat, regredi necesse est. [1])

Quare quum tam arcte genealogiam Panis cum Lycaone conjunctam connexamque inveniamus (Theocr. Id. 1. 123. s.) non est cur eum, ut Ovidii verbis utar, vim solarem esse negemus.

Acedit eodem, quod in hymno Homerico 14. Pan vocatur ὀξέα δερκόμενος, quod saepius apud Homerum de Apollinis sive solis radiis dictum esse invenimus. [2])

His aliisque vestigiis si progrediamur, certe non erramus, si cultum Panis cum antiquissimo Orientis cultu conjungimus atque ex ipsa rerum Graecarum historia, quasi testes convocamus, qui clare dilucideque nexum illum declarent Panemque diu jam cognitum fuisse numenque quoddam solare esse confirment.

§. 5.

Testimonia scriptorum Graecorum de Pane.

In Homeri atque Hesiodi carminibus Panem commemoratum non invenimus, et fuerunt multi, qui eum aut omnino cognitum non fuisse,

---

Nam Artemis et lucem et frugiferam naturam repraesentat. Quare etiam cum Artemide Pan conjunctus erat Olympiae; Paus. V. 15. 4. 5. quae Artemis Κόκκωκα frugiferam naturam significat, quum κόκκος secundum Suidam s. v. τὸ γυναικεῖον μόριον fuisse videatur. Quare si Pan deus φαλλικός est, Artemis huic qualitati respondens κόκκινος appellari potest, si Pan est Λυκαῖος, Artemis huic opposita, est Λυκαῖα. cf. E. David: Recherches sur Jupiter Olymp. vol. 1. p. 117. sq.

[1]) Maja enim secundum Macrob. Sat. 1. 12. 20. terra est, quae si puerum recipit, vim solarem recepisse atque ita frugifera fertilisque reddita esse videtur.

[2]) Hom. Il. III. 277. Odys. VIII. 270. hym. XXXI. 9. cf. Cratinus ap. Hephaest. p. 57. ubi Pan χρυσόκερως nominatur, quod vocabulum ad splendorem solis spectat.

aut postea ex alia quadam religione in Graeciam migrasse putent.[1]) Apud Strabonem vero X. p. 471 fragmentum Hesiodi ex tempore incerto legimus: *καὶ γένος οὐτιδανῶν Σατύρων καὶ ἀμηχανοεργῶν;* qui Satyri una cum Nymphis a quinque filiabus filiae Hecataei nati dicuntur. Hecataeus vero sive *Ἕκατος*, *Ἑκατηβόλος*, *Ἑκάεργος*, *Ἑκηβόλος* cognomen Apollinis est;[2]) atque fragmentum ad illa tempora pertinere videtur, quibus conjunctio quaedam inter Apollinem Dionysumque fiebat, hujusque cultus magis magisque crescere atque in publicum prodire coeperat. Si autem Satyri hujus fragmenti iidem sunt atque ii, quos postea saepe commemoratos filiosque Sileni vocatos esse legimus,[3]) scriptorem hujus fragmenti sive Hesiodus est sive alius poëta antiquus, cultum Dionysi, Silenum, Satyros, Panem cognovisse necesse est, quum Silenus, Pan, Satyri Dionysum semper in itineribus prosequantur.[4])

Extat praeterea inter hymnos, quos Homeri appellare solent, carmen in Panem, in quo, quibus parentibus natus sit, qua forma excellat, versibus epicis describitur. Secundum hunc hymnum autem Pan in Arcadia natus est, (v. 30.) atque praecipue in montibus, rupibus vallibusque montium versatur, (v. 8. 10.) quae perambulat *θῆρας ἐναίρων.* (v. 13.) Quod ad ejus formam pertinet, poëta eum *αἰγιπόδην*, *δικέρωτα*, (v. 2.) *ἀγλαέθειρον*, (v. 5.) *αὐχμήεντα* (v. 6.) nominat, qui *λαῖφος ἐπὶ νῶτα δαφοινὸν λυγκὸς* (v. 23.) gestat. Etiam illud commemoratum legimus, quod munus dei fuerit, si poeta eum *νόμιον θεόν* nominat, qui in rupibus vallibusque venetur *θῆρας ἐναίρων.* (v. 13.) Praeterea etiam cantu delectatur (v. 14.) simulque cum eo nymphae canunt (v. 20.) atque ipse tam dulce fistula canit, ut *οὐκ ἂν τόνγε παραδράμοι ἐν μελέεσσιν ὄρνις.* (v. 15.) Denique etiam choros in pratis vallibusque montium cum nymphis agit. (v. 22. 25.)

Itaque ex hymno Homerico Pan non solum deus pastorum esse videtur, sed qualitates proprietatesque prae se fert, quae ex natura ejus solari, ad quam etiam illud *ὀξέα δερκόμενος* (v. 14.) atque *λαῖφος δαφοινόν* (v. 23.) spectat, sua sponte prosequi videntur.

Sed hymnus ipse, quo tempore ortus sit, testimoniis probari nequit, formam autem prae se ferre videtur, qua eum Homeri non esse, sed ad tempus posterius cantorum illorum epicorum pertinere, concludere licet. Nam si vera est conjectura quaedam Welckeri,[5]) secundum quam locus Eustath. in Il. 1. p. 6. *κατὰ τὴν ἑξηκόστην ἐννάτην Ὀλυμπιάδα* mutandus est in *τὴν ἕκτην ἢ τὴν ἐννάτην Ὀλυμπ.;* hymnus in Apollinem, qui in hymnis Homericis reperitur, anno 754 aut 742 a. Ch. n. scriptus compositusque esse videtur. Neque ita multo post ceteros quoque hymnos, quos ferunt Homericos, ponendos esse puto, qui in annos ab Olymp. VI. usque ad Olymp. XXXX. conscripti videntur.[6]) Quod vero ad hymnum in Panem pertinet, pauca afferre in animo est, quae fortasse, quo loco et quo tempore ortus sit, magis demonstrant.

---

[1]) Schroeter. Myth. d. Pan. p. 1. Voss Myth. Br. p. 78. Preller. Gr. Myth. 1. p. 277. cf. praeterea, quae Preller in Dem. u. Perseph. p. 20. 21. praeclare de antiquo cultu profert.

[2]) Il. V. 444. Il. 1. 75. hym. h. in Ap. 137. Il. 1. 14. Preller Gr. Myth. 1. 181. Welcker. Nachtrag p. 212. not.

[3]) Eurip. Cycl. 268. 271. Poll. IV. 19. 4.

[4]) Marckscheffel. frag. Hes. 28. p. 289. locum ex Catalogo receptum esse atque in Argum pertinuisse putat.

[5]) Welcker. Ep. Cycl. p. 243.

[6]) Plura de his hymnis epicis, de eorum tempore atque scriptoribus inveniuntur apud Welcker. Ep. Cycl. p. 408. s. p. 250. c. n. Wolf. Proleg. p. 246. 266.

Ex loco Hesychii s. v. *Βραυρωνίος* et Athenaei VII. p. 275 B. constat, Braurone, Atticae vico, Iliadem in festis, quae in honorem Dionysi celebrarentur, publice recitatam esse. Sin autem hymni a Thucydide III. 104. prooemia nominantur, fortasse jam concludere licet, duos illos hymnos in Dionysum, quos in numero Homericorum invenimus, ante locos ex Iliade recitatos in honorem dei festis ejus diebus recitatos esse. Antiquo vero jam tempore usus ille Iliadem recitandi valebat;[1]) neque minus cultus Dionysi in antiquissima tempora reduci potest.[2]) Fortasse igitur, quum cultus Panis cum Dionyso tam arcte connexus sit, in festo Dionysi hymnus quoque Homericus in Panem ante Iliadis recitationem antepositus est, quae quidem sententia etiam augeri videtur, quod Dionysus prae ceteris diis in hymno (v. 46.) nominatur. Nam etsi multi fuerunt, qui hymnos illos ante alia cycli quem vocant epici carmina recitatos esse putarent, ut hymnum in Aphroditem ante Cypria; tamen si cyclum illum inde a Theogonia usque ad Telegoniam animo perpendere velis, vix aut ne vix quidem invenias, quocum hymnus in Panem conjungi posse videatur; nisi eum in ipsa Arcadia fortasse aut in festo Dionysi a poeta quodam dictum recitatumque esse velimus. Nam in cyclo illo epico nihil quod ad Panem respiciat invenimus, ideoque ut ad cultum Panis aut Dionysi regrediamur, ipsius hymni forma cogimur. Equidem ad festum Dionysi respicere velim; hymnusque ille in Panem ibi natus ortusque esse videtur, quo festa Dionysi antiquitus celebrabantur, quae quidem in Atticae vicis diu jam viguisse verisimile est. Sed fieri potuit, ut in insula quadam cultus Panis antiquis illis temporibus floreret, atque haec quasi patria hymni esset. In Creta enim insula cultum dei jam antiquo tempore cognitum fuisse, ex locis quibusdam veterum scriptorum colligi potest, quos Vossius adhibuit, ut Panem serius apud Graecos cognitum esse demonstraret.[3]) Itaque quum de hymno Homerico in Panem, quae verisimilia videntur, protulerim, me jam ad alia testimonia convertere placet.[4])

Epimenides Cretensis primus cultum Panis Athenienses docuisse fertur.[5]) Epimenides autem Olymp. XXXXVI (596. a. Chr. n.) Athenas venit.[6]) Sed de doctrina ejus nihil, nisi quod in schol. Theocr. 1. 3. legimus, certi percepimus. Spectat vero ad genealogiam Panis atque ex conjunctione quadam fabularum Arcadicarum cum mythis Cretensibus ortum videtur esse, quod apud scholiasten l. c. legimus: *Ἐπιμενίδης δὲ ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ Διὸς καὶ Καλλίστους (τὸν Πᾶνα λέγει), Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα διδύμους.*

Sentientiae vero, quas apud tragicos Pindarumque legimus tantam sublimitatem spirant, ut ne Aristophanes quidem atque multi comici eam neglexerint, sed antiqua fama nixi Panem in summo honore habitum esse declarent.

---

[1]) Welcker. Ep. Cycl. p. 376.

[2]) Preller. Gr. Myth. 1. p. 413.

[3]) Voss. Myth. Br. p. 78.

[4]) Quod ad hymnum Homericum in Panem adtinet, Lobeck. in Aglaoph. pag. 307. ex Arionis tempore (c. 600 a. Ch. n.) eum esse putat. Matthiae vero in Anim. in h. H. p. 99 hymnum in duas partes distribuit, quarum altera quasi quoddam prooemium sit, »cujus cantandi locus potuerit esse vel in capite carminis ad vitam et occupationes rusticas pertinentis, vel in sacris istius dei.«

[5]) Eratosth. Catast. 27. schol. Theocr. 1. 3. cf. Voss. Myth. Br. p. 78.

[6]) Diog. Laërt. 1. 110.

Pindarus enim Panem, filium Apollinis esse [1]) eumque piscatorum curam gerere, [2]) dixit; atque etsi cultum Mendis Aegyptiaci, uti ex fragm. 112. (179) apparet, bene percepit Pindarus, cultusque formam optime intellexit, nihil tamen quod ad obscoenam cultus formam pertineat in Pane commemoravit. Nam si quos apud eum locos invenimus animo perspiciamus, Panem summa dignitate praeditum intimeque cum matre deorum conjunctum describit, atque eum quasi sublime aliquod numen veneratur, si eum *ματρὸς μεγάλας ὀπαδόν*, (fr. 62.) sive *μεγάλας θεοῦ κῦνα παντοδαπόν* (fr. 63.) nominat. Etiam cum Charitibus eum intime conjungit, quum *σεμνᾶν χαρίτων μέλημα τερπνόν* (fr. 62.) eum fuisse dicat. Felicem praeterea eum praedicat, quod dii Olympii eum tantopere honorent; *ὦ μάκαρ, ὅντε . . . καλέουσιν Ὀλύμπιοι* (fr. 63.); cantorem vero verbis: *τὺ σαυτῷ μέλος γλάζεις* (fr. 65.); quem cantu etiam virgines honorent. (Pyth. III. 137.)

Simonides vero in epigrammate, quod ad pugnam Marathoniam celebrandam conscripsit, quamquam Panem *τραγόπουν* nominat, tamen auxilium ejus, quo hostes profligati sint, versibus praedicat. (Anth. Plan. IV. 232. Tauchn.)

Haec vero sublimis de Pane sententia etiam apud tragicos valet, qui eum *φιλόχορον* (Aesch. Pers. 443. Soph. Aj. 694.) nominant eumque cum diis majoribus conjungunt. (Aesch. Agam. 56. cum Jove et Apolline; Soph. Oed. T. 1104. cum Apolline et Dionyso.) Euripides vero musicam ejus praecipue laudibus effert, (Eur. Elect. 709. Jon. 492. Helen. 190. Iphig. T. 1126.) simulque illam qualitatem, qua hominum animos erigit atque conturbat, prae ceteris commemorat. (Eur. Hippol. 142. Rhes. 36.)

Haec vero ut ita dicam reverentia ne ab Aristophane quidem neglecta est, qui cum diis majoribus Panem saepius conjungit, (Thesm. 983. Eccles. 1114. Av. 745. Lysist. 2.) musicam ejus praedicat (Ran. 230.) eique vim animos hominum subito conturbandi tribuit. (Lys. 997.)

Cratinus autem magnopere cum Aeschylo atque Pindaro convenit, si de Pane haec dicit:

χαῖρε χρυσόκερως βαβάκτα, κήλων Πάν, Πελασγικὸν Ἄργος ἐμβατεύων. [3])

Ex his autem, quae attuli, testimoniis (nam alia suo loco, quum de natura Panis agam, commemorare placet) duplex dei natura clarissime apparet. Nam a scriptore hymni Homerici usque ad poetas tragicos comoedosque omnes omnino consentiunt, Panem non solum deum pastorum esse, sed ad eum vim aliquam sublimiorem atque longe praestantiorem pertinere. Quare quae supra de solari Mendis atque Panis natura commemoravi, testimoniis satis firmis comprobata videntur.

---

[1]) Gloss. MSS. in Verg. Georg. 1. Pindarum ex Apolline et Penelope in monte Lycaeo editum Pana scripsisse commemorat. cf. Myth. Lat. p. 345. Staver.

[2]) Schol. Theocr. Id. 14. ad cognomen Panis *ἄκτιος* definiendum affert, Panem piscatorum agere curam a Pindaro dici. De cultu Panis apud Pindarum cf. vita Pindari in Eustathii prooemio Comment. Pind. et Boeckhius in Pind. carm. Tom. III. p. 591. 593. 594. p. 664; et de Pane piscatorum deo l. c. p. 566.

[3]) Cratin. apud Hephaest. p. 57. Gaisf. Cum hoc loco conferendum est fragm. Euripidis Teleph. ap. Dion. H. de comp. p. 426. Schaef. (apud Dindorf. fr. 62.)

§. 6.

Quibus locis cultus Panis in Graecia praecipue floruerit, demonstratur.

Quum cultum Panis praeter Arcadiam atque Atticam antiquo jam tempore in insulis [1]) quoque atque in Macedonia, [2]) Thessalia, [3]) Megaris, [4]) Argolide, [5]) Laconica [6]) atque in Parnasso [7]) inveniamus, operae pretium videtur esse, quibus in terris diutissime floruerit et quo loco Panem natum esse scriptores veteres censuerint, paucis explicare.

Pausanias secundum hymnum Homericum in Panem (v. 30.) patriam Panis Arcadiam fuisse commemorat [8]); atque cum eo plurimi scriptores Graeci conveniunt. [9]) Praecipue vero mons Cyllene patria nominabatur, ibique eum a Sinoë nympha educatum esse, in fabulis erat. [10])

Hic autem mythus, qui praecipue apud Arcades fictus esse videtur, antiquitatis notam prae se fert atque ab alio, qui in Creta insula valebat, omnino dissentit. Nam secundum Cretensium fabulam, quae originem claris signis notisque expressam in fronte habet, Pan cum Jove in Ida monte in Creta sito educatus est, Jovemque fratrem bello contra Titanos orto non deseruit, sed magnopere eum adjuvit, conchaque quasi tuba usus est, qua ingentem in hostes terrorem injiceret. Quare Jupiter magno dono eum auxit, simulque cum Amalthea capra in siderum numero posuit. [11]) Apollodorus illam fabulam ad finem perducit, Panemque contra Typhonem Jovi auxilium tulisse commemorat; [12]) Hyginus vero, eum etiam in Aegyptum Jovem secutum esse, in fabulis enarrat, atque conchis in Typhonem conjectis auxilium ei tulisse fratrique praesidio fuisse confirmat. Quum vero Typhon deos, qui cum eo congrediebantur, magna vi atque ingenti impetu rejiceret, ita ut in fuga salutem quaerere cogerentur, Pan, secundum Hygini fabulam, perniciem effugit quum in Nilum se conjiceret, atque semipiscis semicaper servatus est. [13])

---

[1]) cf. quae de Epimenide supra commemoravi.

[2]) Lobeck. Agl. p. 293.

[3]) Gerhard. Gr. M. p. 532. Panofka. Argus Panopt. p. 22. 23. Abbild. IV. 4. Gerhard: Ueber die Lichtgotth. p. 5.

[4]) Rückert. Troja p. 85. 86.

[5]) Paus. II. 32. 5. Cratin. ap. Heph. l. c. Haupt. Aesch. Orest. (Berlin 1837.) T. 1. p. 270. Marckscheffel. fragm. Hesiod. 28. p. 289.

[6]) Meiners. ad Theocr. Id. VII. 103. Steph. Byz. p. 43. In Malea promontorio Peloponnesi eximia fuit Panis sanctimonia.

[7]) Paus. X. 32. 5.

[8]) Paus. II. 5. 16.

[9]) Lucian. dial. deor. XXII. 2. T. II. p. 76. Bip. Horat. carm. IV. 12. 11. Serv. in Verg. Aen. VIII. 282. Rutil. Itin. 1. 232.

[10]) Paus. VIII. 30. 2. Pind. Olym. VI. 77.

[11]) Eratosth. cat. 27. Schwenck Myth. d. Gr. T. 1. p. 277. (Pan a nymphis educatus esse fertur. Meineke ad Euphor. fr. 164.)

[12]) Apoll. 1. 6. 10. fragm. Aesch. apud. schol. Eur. Rhes. 36.

[13]) Hygin. Astr. II. 28. p. 480. Stav. Legimus h. l. »Hujus capricorni effigies similis est Aegipani, quem Jupiter, quod cum eo erat nutritus, in sideribus esse voluit.« cf. schol. Arat. p. 39. *ὁ αἰγίκερως ὅμοιός ἐστι τῇ αἰγί. κατηστερίσθη δὲ εἰς τιμὴν τοῦ Πανός.* cf. Suid. s. v. *ἀλίπλαγκτος*, et Zonarae lex. s. v. *ἀλιπλάγητος.*

Haec vero Cretensium de Pane fabula primo statim obtutu, quum ex variis diversarum nationum mythis composita, tum studio mythologorum aucta atque tantopere commutata esse videtur, ut quae fabula quasi primaria atque fundamentalis fuerit, omnino dignosci non possit.

Cretenses praeterea teste Diodoro V. 75 omnes omnino deos in Creta insula natos esse contendebant, atque fabulas ut patriam suam honorarent et prae aliis terris gloria augerent varias et multiformes componebant. Sed quum apud omnes fere Graeciae nationes antiquitus deos pastorum inveniamus, qui natura qualitatibusque suis cum Pane omnino conveniunt [1]) atque postea in Panem transmutati sunt, eodem quo Cretenses jure, singulae Graeciae nationes, Panem apud se ortum esse, contendere poterant.

Sed quum in hac quaestione de Panis patria nihil aliud agatur, nisi ut quibus Graeciae locis antiquissimus dei cultus floruerit, demonstretur, quum praeterea, quot legamus apud veteres scriptores de patria Panis testimonia, omnia fere, singulis exceptis, consentiant, certe ex fabulis ea, qua in Arcadia natus esse contenditur, quam Steph. B. s. v. *Λέῤῥα* aliquando *Πανία* vocatam esse dicit, et simplicitate et vetustate animum magis ad se allicit. [2])

Arcadia vero mores institutaque Pelasgorum diutissime servavit (Heyne. obs. ad Apollod. p. 261. s.) atque quum Attica secundum Thucydidem 1. 2. 5. incolas non commutaverit, in his terris antiquissima Pelasgorum numina invenimus. Quare si antiquitatem cultus Panis apud Graecos explicare atque testimoniis probare velim, cultum utriusque gentis paucis proponam necesse esse videtur, praesertim quum quod ad cultum ipsum perspiciendum pertineat, hac tractatione magis clarescat.

Fortasse quod ad cultum Arcadum adtinet, sententia quaedam valet, quae magni momenti in religione aliarum gentium explicanda esse videtur, [3]) ea quidem, discrimen quoddam inter deos plebis atque optimatum fuisse; quod ex particulari ut ita dicam cultu Poseidonis atque Demetris aliorumque numinum sequi videtur. Nam in Arcadia cultus geographicis ut ita dicam terminis circumscribi potest; ita quidem, ut quum in regionibus septentrionalibus, in monte Cyllene cultus Hermetis praevaleret, [4]) in montibus, qui ad meridiem spectant, in Lycaeo aliisque cultus Jovis atque Panis praecipue Lycaosurae, Lyceae,

---

[1]) Apollo *Καρνεῖος* apud Dores praecipue deus pastorum, (Welcker. Gr. Gött. p. 469.) qui et *τράγιος* (Steph. B. s. v. *τραγαία)* atque in Italia et in insulis *νόμιος* vocatus esse videtur, deus solis est, cui etiam ignem perpetuum incendere solebant. Callim. h. in Apoll. 69—84. Hermes vero etiam pastorum deus naturam igneam et solarem cognominibus usitatis clarissime exprimit.

[2]) Quod vero adtinet ad aliam fabulam, qua Pan Ithacensis vocatur, (Lact. ad Stat. Theb. II. 206. Böttiger. Ideen zur Kunstmyth. II. 238.) hanc omittendam puto, quoniam sicuti fabula cum ex Ulixe atque Penelope ortum esse, postero certe tempore a grammatico quodam inventa, ornata atque divulgata est. Mythographi autem omnes cultum Panis ad Arcades praecipue pertinere consentiunt, atque singularis illa Cretensium sententia jamdudum neglecta atque refutata est. Sed etsi in Arcadia cultum Panis antiquissimum fuisse omnes consentiunt, tamen minime consequi videtur, in alias Graeciae terras postero et ut ajunt historico tempore eum ex Arcadia immigrasse.

[3]) Apud Messenios in genere quodam cultum *θεῶν μεγάλων* fuisse legimus. Paus. IV. 27. 4. atque IV. 14. 1; 26. 6. Apud Macedones vero populus Martem, Dionysum, Artemidem coluit, reges vero Hermetem. Herod. V. 7. cf. Welcker. Gr. Götterl. p. 426. cf. praeterea Lobeck. Aglaoph. p. 273. 278. not. s.

[4]) Paus. VIII. 14. 7; 16. 1; 17. 1; 30. 2; 32. 3; 34. 3; 35. 2; 36. 6.

Tegeae, Aleae, Megalopoli in urbibus floreret.[1]) In terris vero, quae medium Arcadiae spatium explent, atque planitiei speciem praebent quaeque lacus fluminaque continent, praecipue cultum trium numinum invenimus, Neptuni quidem, Demetris atque Corae.[2]) Primo autem statim obtutu illud nobis liquet, in montibus praecipue pecudum, in planitie vero agrorum culturam valere, formamque rerum publicarum variam diversamque fuisse. Nam quum inter populos, qui pecudum culturae studeant, nobilitatem perfectam atque veram oriri non posse necesse sit, sed haec inter eos tantum valeat, qui agriculturam tractent, etiam in Arcadia nobiles sive eupatridas inter eas gentes quaerere debemus, quae terram mediam incolant, atque agriculturae operam dent. Quare si apud Paus. VIII. 4. 1. legimus: Arcas primus frumentum popularibus suis tradidit, inde ab hoc ipso tempore nobilitatem ortam esse, putare licet. Deinde etiam quum fabula apud incolas Caphyae urbis valeret, ab Atticae incolis sese oriundos esse atque ab Aegeo expulsos, (Paus. VIII. 23. 3.) fortasse etiam, praesertim quum Caphya in planitie sita sit, sententia valet, partem Geleontum vel Argadum, seditione sub Aegeo orta in Arcadiam transmigrasse atque cum agricolis sese conjunxisse. Hi fortasse cultum Athenae secum in Arcadiam transtulerunt, qui postero tempore in illis finibus valde divulgatus erat.[3]) Cultus autem Aphroditae fortasse ex fabula Agapenoris (Paus. VIII, 5. 2.) atque Dionysi ex fabula Schoenei, quem ex Boeotia immigrasse ferunt, (Paus. VIII. 35. 8.) quodammodo patere videtur. Cultum vero Apollinis, qui in postero tempore late patebat, in Arcadiam immigrasse, jam ex eo conjici licet, quod mythus Callistus atque Corae accito Apolline omnino commutatus atque haec dea Arcadum antiqua in formam Artemidis redacta est. Apollinis cultus autem praecipue in Arcadia media valuisse videtur, quum Pheneae templum ejus praestantissimum fuerit, ibique cultus Artemidis prae ceteris Arcadiae urbibus viguerit.[4])

Sed si respicimus, reges Arcadiae antiquos genus a Jove summo derivasse, Paus. VIII. 2. 2. atque arcanum quendam cultum Poseidonis atque Demetris usitatum esse, (Paus. VIII. 10. 2; 36. 2.) praeterea jam inde ab antiquissimis temporibus usque ad novissima tempora studium quoddam viguisse, quod ad novas res postestatemque populi augendam spectaret,[5]) concludere fortasse licet, in hac quoque terra religionem inter optimates, qui in planitie media habitarent, atque plebem ut ita dicam, quae in montibus sederet, variam diversamque fuisse. Augetur

---

[1]) De Jove cf. Paus. VIII. 2. 2; 9. 1; 12. 1; 31. 3; 36. 3; 37. 1; 38. 5; 48. 5; 53. 5.
De Pane. Paus. VIII. 24. 2; 26. 2; 30. 2. 3; 31. 1; 36. 5; 37. 7. 9; 38. 1. 4. 8; 42. 2; 53. 5; 54. 3. 5.

[2]) De Neptuno. Paus. VIII. 8. 2; 10. 1; 13. 2; 14. 4; 23. 3; 31. 3; 36. 2; 37. 7.
De Cerere. Paus. VIII. 8. 1; 9. 1; 10. 1; 14. 8; 15. 1; 21. 2; 25. 2. 3; 29. 4; 31. 1; 32. 2; 36. 4; 37. 2; 42. 1; 44. 5; 53. 3; 54. 4.
De Cora. Paus. VIII. 5. 8; 9. 1; 12. 3; 13. 1; 15. 2; 23. 1. 3. 4; 25. 2; 28. 3; 31. 1; 32. 2; 35. 5. 7; 36. 6; 37. 6; 39. 3; 42. 1; 44. 2; 47. 4; 53. 3.

[3]) Cultum Athenae antiquo tempore in Arcadiam translatum esse, praecipue ex eo consequi videtur, quod qualitates primitivae atque antiquissimae in Athena Arcadica inveniamus. Nam in templis, quae Tegeae, Herod. 1. 66; 9. 70. Paus. VIII. 45. 5. atque Aleae, Paus. VIII. 9. 3. 23. invenimus, dea luminis atque caloris colebatur. cf. Welcker. Griech. Götterl. p. 309.

[4]) Paus. VIII. 15. 2. cf. praeterea Paus. VIII. 30. 2; 31. 1; 32. 3; 37. 9; 38. 6; 41. 5; 53. 1; 54. 4.

[5]) Paus. VIII. 5. 9; 8. 6; 27. 9; 43. 2.

haec sententia magnopere ea re, quod postero tempore Lacedaemonios id enisos esse legimus, ut urbes Arcadiae in partes distraherent, atque oligarchiam ut ita dicam in iis constituerent. [1]) Hoc vero studium praecipue ad eas urbes pertinebat, quae in montibus sitae fortasse magis libera reipublicae forma uterentur, ut Phigalia, Tegea, aliaeque plures. Mantineae incolas, Pausanias VIII. 8. 6 enarrat, a Thebanis esse iterum unitos e vicis, in quos a Spartanis fuissent dissipati. Neque aliud de Megalopoli legimus Paus. VIII. 27. 9, in quam urbem, cui, ut Pausanias l. c. dicit, *ἀνὴρ φιλόπολις* praeerat, ter impetu frustra facto Spartani per eupatridas recepti sunt.

Quare si haec omnia respicimus, fortasse sententia amplexanda est, quasi quandam conjunctionem inter plebem atque eupatridas ante pugnam Leuctricam Olymp. 102. 2. non fuisse, atque Epaminondam primum Arcades in unum congregasse, ipsoque hoc tempore etiam cultus religionisque unitatem quandam atque conjunctionem exstitisse, quum Megalopoli in urbe templum a Pausania VIII. 31. 3. 4. 5. commemoratum inveniamus, in quo numina diversissima, Demeter, Artemis, Pan, Apollo, Jupiter, Dionysus, Neptunus, Nymphae, Hermes, Aphrodite, Minerva, denique Mars etiam quasi societate quadam comparata foedereque icto unita atque connexa sunt.

Quare, ut mihi quidem videtur, non errabimus, si inter eupatridas atque montium incolas diversam religionem cultumque fuisse putemus, [2]) qui etsi hic atque illic fortasse unitus erat, tamen postero tempore demum omnino connexus est, quum forma reipublicae magis libera reddita sit. Tum vero et illud perspicuum fit, quare Panem in Arcadia pastorum praecipue deum fuisse apud scriptores veteres legamus, neque minus, quomodo factum sit, ut naturae ejus sublimior pars, qualitatesque praestantiores apud Arcades in lucem minus provenerint, apparet.

Venio jam ad alteram quaestionis propositae partem, qua mihi, quum supra cum Arcadum cultu initime religionem Atheniensium sive Atticorum composuerim, demonstrandum est, cultum Panis jam ante Epimenidis aetatem, qui eum Athenienses docuisse fertur, cognitum fuisse. Minime vero me effugit, me hac sententia a multis, qui mythum antiquum tractaverint et qui, quod ad Arcades adtinet, cultum Panis antiquum fuisse putent, apud Athenienses vero negent, valde abhorrere atque discedere. Quare ad sententiam meam fulciendam atque ad difficultates, in quas, qui Panem ante Epimenidis aetatem cognitum Athenis negent, incidant, magis explicandas pauca afferre placet.

In quatuor illis quas invenimus incolarum Atticorum gentibus duae partes constituendae videntur, altera eorum, qui in terram immigrarunt Hellenum, (Schoemann. Gr. Alt. 1. 315.), altera Jonum, qui primitus terram obtinuerunt. Hellenes vero, qui in Atticam profecti sunt, eam fortasse gentem constituerunt, quae postero tempore Hoplitae nominabatur, Apollinisque cultum haud scio an secum in terram pertulerint. [3])

---

[1]) Paus. VIII. 8. 6; 27. 9; 39. 2. 3.

[2]) Apud Indos diversam incolarum planitiei et montium religionem invenimus, quum alteri Dionysum, alteri Heraclem ex Graecorum sententia deos haberent. cf. Duncker. Gesch. d. Alterth. II. p. 254. ed. II. Berl. 1855.

[3]) Schoemann. Gr. Alt. II. 399. haec fere de cultu Apollinis dicit: »Apollo gehört gewiss nicht zu den ursprünglichen Landesgöttern von Athen, sein Cult ward wohl erst eingeführt, wo eine Hellenische Volksschaar vom südlichen Thessalien aus sich nach Attica angesiedelt und mit den Pelasgischen Altjoniern vermischt hatte.« cf. l. c. 1. 320.

Ceterae autem gentes tres, Geleontes, Argadeis atque Aigicoreis primos incolas Pelasgicos continent et sicuti victu cultuque inter se diversae sunt sic etiam religionem diversam fuisse conjici licet.

Geleontes enim, quum nobiles sive eupatridae fuisse atque in urbe habitasse videantur, (Schoemann. l. c. I. 321. Hermann. Staatsalt. §. 95. 9. p. 204.) fortasse Athenam prae ceteris numinibus colebant; Argadeis vero, agricolae, qui terram quae meridiem versus spectabat obtinerent, Poseidonem Erechtheum; Aegicoreis denique, qui montes in finibus Boeotiae gregibus depascendos obtinerent, vel Hermetem, vel Dionysum vel Panem. Quare sicuti in Arcadia, sic etiam in Attica duplex cultus genus atque inter optimates atque plebem diversum constituere velim, quod ex Plut. vit. Thes. 24. et Thucyd. II. 16. sequi videtur, qui parti populi Atheniensis *ἱερά* tribuit, *ἃ διὰ παντὸς ἦν αὐτοῖς ἐκ τῆς κατὰ τὸ ἀρχαῖον πολιτείας πάτρια.* cf. O. Müller. Dor. 1. p. 237. sq. 245. Gerhard. Gr. Myth. II. p. 105. §. 752. Rückert. Troja. 159. Spanhem. ad Callim. lav. Pall. v. 34. p. 644. Ern. Invenimus enim apud gentes optimatum varias cultus religionisque formas quasi in quadam gente hereditarias. Apud Phytalidas, ut exempla afferam, cultum Demetris, Poseidaonis, Athenae; apud Eumolpidas atque Ceryces, quae ad Eleusinia pertineant; apud Lycomidas cultum singularem Demetris; apud Hesychides sacrificia Eumenidum; apud alias gentes alia denique dei gentilis ut ita dicam singularia sacrificia fuisse legimus. [1]) Invenimus praeterea apud Strabonem IX. p. 395. lege prohibitum fuisse, ne sacerdos Athenae Poliadis caseum, qui in Attica confectus esset, comederet, id quod fortasse sicut Schoemann. l. c. II. p. 382. intelligit, ad caseum, qui ex lacte caprino conficitur pertinere videtur simulque ostendere, inter cultum agrarium pastorumque atque cultum nobilium Atheniensium discrimen quoddam fuisse.

Dionysus vero in Attica primitus deus pastorum gregumque fuisse videtur, quod ex compluribus locis veterum scriptorum probari potest. [2])

Erat enim deus phallicus, qui gregibus fertilitatem praeberet [3]) atque etiam mulieres fertiles redderet [4]), qui denique omnem omnino frugum, pecorum, terrae fertilitatem repraesentaret. [5]) Quare etiam eum pelle caprina indutum invenimus, eumque ea de causa *μελαναίγιδα* nominatum legimus. [6]) Sacrificia autem ejus sunt capri adeoque cum capris conjunctus fuit, ut etiam formam capri indueret [7]) eaque de causa *ἔριφος* nominaretur. [8])

Praecipue autem cultum Dionysi apud illam incolarum Atticorum partem floruisse, quae *Αἰγικορεῖς* appellabatur, fabula declaratur, secundum quam Dionysum primum in vicum, qui in finibus Atticae atque Boeotiae situs *Σήμαχος* nominabatur, atque ad illorum terram pertine-

---

[1]) cf. quae Schoem. l. c. II. 367. 375 de cultu optimatum singularumque familiarum praeclare dicit.

[2]) De antiquitate cultus Dionysi in Attica cf. O. Müller. Dor. 1. p. 242. II. p. 250. Secundum schol. Aristoph. Ach. 243. cultus Dionysi primum a nobilibus, quasi cultus dei agrestis contemtus est, donec oraculi responso permoti eum reciperent.

[3]) Plut. de div. cap. VIII.

[4]) Plut. Quaest. Gr. XXXVI. de Is. et Os. XXXV.

[5]) Locos de hoc re collectos videas apud Welcker. Nachtrag z. Tril. p. 186. n. 8.

[6]) Schol. Arist. Achar. 146. Suid. s. v. *Ἀπατούρια* et s. v. *Μέλαν.*

[7]) Paus. IX. 8. 1. Eurip. Bach. 139. Verg. Georg. II. 380. Martial. II. 24.

[8]) Hesych. s. v. *εἰραφιώτης* et s. v. *ἔριφος.* Apoll. fragm. p. 436.

bat, pervenisse legimus.[1] Ordines vero optimatum, et ille, qui in terram immigraverat et Geleontum, qui urbem obtinebant, quum semper cum ceteris disceptarent, pastores cultumque eorum maximo odio persequebantur, (Schoemann. l. c. II. p. 436.) donec sub Aegeo, qui heros vici *Αἰγικορεῖς* fuisse videtur, hi conjunctione cum gente *Λῦκος* magis magisque prae ceteris florerent atque crescerent.[2])

Quod vero ad *Λῦκος* illud pertinet quis est, qui non videat, hoc nomen ad cultum Apollinis pertinere, cum quo Dionysus deinceps tam arcte conjungitur, ut etiam Delphis prope Apollinis templum sepultus esse dicatur.[3]) Vehemens autem certamen fuisse, fabula, quam apud Athenaeum XII. p. 516. B. legimus, comprobatur. Pan enim l. c. discrimen de musica cum Apolline iniit, quod quidem nihil aliud fuisse videtur, nisi dei illius agrarii cum deo nobilium quasi de regno dimicatio.[4])

Quae quum proposuerim, fortasse etiam ab hoc Dionysi cultu conclusionem de Pane ejusque cultu facere licet. Nam sicut Artemis complures deas lunares in sese contineat, Apollo vero plura similis naturae numina secum conjungat, fortasse etiam Dionysus non solum Hermetem, sed etiam Panem aliquotenus repraesentat[5]); ita ut, quum gentes illae Atticae inter se conjunctae sint, Dionysus praecipue vini culturae, Pan vero gregibus praesit. Nam non solum in utroque illa vis, quae ad greges frugesque augendas pertinet, inesse videtur, sed conveniunt etiam, quod utrumque quoddam numen solare fuisse testimoniis confirmatur.[6])

Quare, ut ita dicam Hermes, qui etiam in Dionyso latebat, posteaquam cultus in urbem receptus est quamvis ipse deus pastorum esset, magis magisque cum Athena optimatum dea se conjunxit atque mundum sive *κόσμον* repraesentavit.[7])

Dionysus autem ipse, qui cum Apolline conjungebatur, hominum mores cultura agri atque vini emolliebat; Pan denique illam principalem dei naturam retinuit, secundum quam eum in Attica deum pastorum fuisse contendere licet.

Itaque dii Attici, qui ut ita dicam omnes igneam quandam naturam prae se ferunt, ut Athene[8]), Hephaestus[9]), Prometheus[10]), Dio-

---

[1]) Hesych. et Phot. s. v. *Σήμαχος*. Euseb. Chron. 1. 30.

[2]) cf. Welcker. Aesch. Tril. p. 295. Nachtrag z. Tril. p. 205. et p. 198; quibus locis varii de propagatione cultus Dionysi mythi proferuntur. cf. Schoemann. Gr. Alterth. I. p. 320. sq.

[3]) Siebelis ad Philoch. p. 21.

[4]) Postero etiam tempore sacerdotes, quae in templis Dionysi sacra faciebant, ex vico *Σήμαχος* electae sunt. (Welcker. Nachtr. z. Tril. p. 209.) Tandem aliquando quum certamen illud inter nobiles atque *Αἰγικορεῖς* finitum esset, quum omnes in unam civitatem redacti, quiete tranquilleque viverent, cultus Dionysi ab ipso Apollinis oraculo Atheniensibus commendatus est. Demosth. c. Mid. p. 531. c. 15.

[5]) Videas, quae Welcker. Tril. p. 222. sq. 295. sq. de commutatione naturae deorum dicit: »Die Götter ändern zum Theil nach den Umständen eines jeden Ortes und nach menschlichen Angelegenheiten und Bedürfnissen ihre Wirkungen und Eigenschaften.«

[6]) cf. hujus dispositionis §. 9. n. 4. ubi de natura utriusque numinis fusius disputatum est.

[7]) Hermes intime cum Herse atque Aglauro conjungitur, quae Athenae quasdam facultates expressisse videntur. cf. Apollod. III. 14. 3. Welcker. Tril. p. 217.

[8]) Welcker. Tril. p. 279. not. 480.

[9]) Welcker. l. c. p. 280. not. 483.

[10]) Welcker. l. c. p. 120. Nachtrag z. Tril. p. 31. seq.

nysus [1]), Pan, postero tempore deinceps naturam ita commutaverunt, ut quum primitus vim quandam naturalem significarent, Athene atque Apollo lumen mentis sublime atque aethereum, Hephaestus vero atque Prometheus illud lumen repraesentarent, quod in artibus praecipue utilibus studioque quotidiano sese ostendat, Dionysus atque Pan denique qualitatem quandam proprietatemque luminis et caloris, quae ad augendum crescendumque pertineat, ostenderent, ita quidem, ut quum agricultura feros hominum mores emolliat, haec ad Dionysum, gregum cultura ad Panem pertineret. [2])

In iis, quae supra commemoravi, cultum Panis apud Atticae incolas ex cultu Dionysi demonstrare studui, sed fortasse etiam alio modo probari potest, cultum jam ante Epimenidis aetatem in Attica cognitum fuisse.

Hermes antiquissimum Pelasgorum numen fuisse videtur, quem *πρῶτοι μὲν Ἑλλήνων ἁπάντων Ἀθηναῖοι παραλαβόντες, παρὰ δὲ τούτων ὦλλοι* Herod. II. 51 commemorat. Duplicem autem in eo invenimus naturam, quum ex nominis etymo motor fuisse videatur. [3]) Quare et diem et noctem agit, simulque etiam magnos in coelo motus gubernat et regit. Sed jam in antiquissimis scriptoribus aliam qualitatem in eo expressam legimus, qua deus pastorum fuisse videtur, atque Hermes ithyphallicus nominatur. Jam ex Homero Il. XVI. 182. Odys. VIII. 334. hymn. in Vener. III. 117. eum cupidum libidinosumque fuisse concludere licet. Sed haec ejus qualitas postero tempore magis magisque evanuit, Hermesque praecipue *κόσμος* fuisse videtur, quod ex munere,

---

[1]) Nominabatur enim Dionysus *Λαμτήρ*, Paus. VII. 27. 2. *πυρπόλος*, Lycophr. 212. *φλέγων ἀγλαῶπι πεύκᾳ* Soph. Oed. R. 214.

[2]) Quodsi haec sententia, quam modo de diis optimatum atque plebis et de eorum connexu proposui, firmis argumentis nititur, fortasse etiam ad genus poeseos, quod scenicum vocare solemus, lucem afferre potest. Primitus enim in festis Dionysi diebus, in vicis illis Atticis ludi celebrabantur, qui et epicam ut ita dicam partem continerent, et chorum satyricum ducerent. Postero deinceps tempore, quum ludi illi Dionysiaci, simul cum cultu a ceteris quoque Atticae incolis reciperentur, atque deus ipse cum diis nobilium conjungeretur, hoc genus poeseos in tres partes distributum est, quae cum ea, quam supra proposui Dionysi natura, optime convenire videntur. Nam tragoedia, quae ex choro atque actione composita est, sublime aliquid tractat, fortunam vel quod magis placet intelligentiam quandam, quae res humanas atque terrenas regat, certamenque hominis describit, atque Dionyso, qui cum Apolline vel Athena conjunctus est, respondet. Comoedia vero, quum hominem inane quoddam omni omnium virium contentione subsequentem describat, finem spectatores docendi prae se fert, atque illi Dionyso respondet, qui feros hominum mores agricultura mollivit. Drama denique satyricum quod vocant naturam primitivam maxime servavit, choroque Satyrorum Silenorumque illam Dionysi naturam, quam apud *Αἰγικορεῖς* primitus obtinuerat, exprimit. Quum vero haec naturalis Dionysi sive Panis qualitas ridiculum quoddam atque jocosum contineat, finis dramatis satyrici alius non est, nisi ut spectatores delectet. Quare sublime illud tragoediae, utile comoediae, jocosum dramatis satyrici optime naturae Dionysi, quam supra tripartitam proposui, respondet.

Cultu vero Dionysi atque poesi dramatica potestas optimatum magis magisque in dies deminuta est; (cf. Welcker. Nachtr. z. Tril. p. 248. not. 189. p. 250. 254. Duncker. Gesch. d. Alt. IV. 20. 334.), atque hoc haud parvum momentum est, quod cultum primitus agrestem, ut ita dicam, vel plebejum fuisse putem.

[3]) *Ἑρμῆς* derivatur ab *ὁρμᾶν*, Welcker. Gr. Götterl. p. 342. not. 23. rectius a *θέρος*, *σειρός*, *σείριος*. Vocabulum *Ἀργειφόντης* ex *ἀργός*, albus et *φόντης*, aeolice pro *φάντης* compositum (Welcker. l. c. p. 336. n. 3.) ad lucis naturam in eo spectat.

quo in mysteriis fungitur, praecipue elucescit. Quare Welckerus Tril. p. 217. de eo haec fere dicit:

»Aber er hatte auch geistigere Seite der Religion und konnte als solcher die Idee des Kosmos auf sich beziehn. Denn nur insofern er Bildungsprincip ist, konnte er Kadmilos i. e. Kosmilos genannt werden.«

Apud Pelasgos igitur munere dei pastorum functus esse videtur, atque in Arcadia et in Attica eum antiquitus cultum esse, concludere licet.

In Arcadia vero, quum praecipue in monte Cyllene coleretur, Paus. VIII. 14. 7. jam antiquitus illam qualitatem, qua deus pastorum est, Pani concessisse atque ea de causa Pan filius Hermetis apud Arcades nominatus esse videtur.

In Attica vero fortasse Hermes duplicem qualitatem expressam habuit, apud eam partem populi, quae pecorum culturae operam daret, naturalem ut ita dicam, apud optimates vero, quum conjunctus esset cum Athena, Apoll. III. 14. 3. Ovid. Metam. II. 724. sublimiorem illam.

Epimenides autem, si cultum Panis Athenienses primus docuisse fertur, fortasse Hermetem illum, quem pastores colebant, Panem nominavit, quoniam cum Pane Arcadum omino conveniret. Ea de causa Panem non filium Hermetis, sed Jovis nominasse videtur, quod Panem illum Hermetem fuisse demonstrat. Tum vero, quare apud Athenienses in Pane praecipue qualitates sublimiores expressas inveniamus, quum qualitates Hermetis in eum collatae sint, clarum perspicuumque efficitur.

Sed utra sententia valeat, discernere non audeo; illud autem persuasum habeo, cultum Panis jam ante pugnam Marathoniam Epimenidisque aetatem in Attica cognitum fuisse.

Praeterea, si in tempora fabulis mythisque obscura regredi volumus, nexum inter Atticam Peloponnesumque intimum negare non possumus. Nam Lycus, qui ad Messenios religionem tulit, Atheniensis erat; Paus. IV. 1. 5. et Pylii iterum Atheniensibus reges dederunt, Melanthum et Codrum. Post bellum deinde Messenicum primum Messenii multi Eleusinem migrarunt, Paus. IV. 14. 1. atque Caucones illos, qui Jonibus, quum in Asiam migrarent, praeerant, Herodotus I. 147. Pylios nominat ex gente Melanthi. Incolae Caphyae vero, oppidi Arcadici, ab Atheniensibus ortos se esse dicunt. Paus. VIII. 23. 3.

Quare si antequam Dores in Peloponnesum migrarent cultus religioque incolarum Peloponnesi similis fuisse videtur, conclusionem fortasse facere licet, per Jones, qui ipso Doriensium impetu repressi in Atticam migrarunt, in quorumque numero teste Herodoto I. 146. etiam Arcades erant, cultum Panis in Atticam perlatum esse. Tum etiam illud perspicuum esse puto, quod de Apolline, quem vocant *Νόμιον* commemoratur, in Italia atque insulis eum deum hoc nomine esse appellatum, quem Arcades atque rustici sive pastores Attici colerent, (locos videas. ap. Welcker. Gr. Gttrl. p. 487.) atque Dorienses, quem colerent Apollinem *Καρνεῖον* sive *Νόμιον*, eum Panis Arcadici atque Attici similem habuisse.

Sed illa rerum Graecarum historiae pars tantopere fabulis ornata atque ea de causa tam obscura est, ut omnino non liqueat certumque testimonium ex ea perhiberi nequiat.

Augetur vero magnopereque confirmatur sententia, Panem in Attica jam ante Epimenidis aetatem cognitum fuisse, praecipue ea re, quod, si per hunc primum Athenas cultum perlatum esse putemus, in

difficultates certe maximas irruamus. Quare quae ad rem clarius perspiciendam pertinent paucis explicare in animo est.

Sententia, Epimenidem Cretensem primum Athenienses cultum Panis docuisse, magnopere discrepat ab loco Herodoti VI. 105. Legimus enim hoc loco, Panem Phidippidi cursori ante pugnam Marathoniam nuntiasse, se rebus Atheniensium semper studere; atque *ταῦτα μὲν Ἀθηναῖοι καταστάντων σφίσι εὖ ἤδη τῶν πραγμάτων πιστεύσαντες εἶναι ἀληθέα, ἱδρύσαντο ὑπὸ τῇ ἀκροπόλι Πανὸς ἱρὸν καὶ αὐτὸν ὑπὸ ταύτης τῆς ἀγγελίης θυσίῃσι ἐπετέῃσιν καὶ λαμπάδι ἱλάσκονται.* Cum hoc loco Herodoti vero comparandus est Pausanias VIII. 54. 5. et I. 28. 4. ubi legimus: *φάναι τε (ἔλεγεν) εὔνους Ἀθηναίοις εἴη καὶ ὅτι ἐς Μαραθῶνα ἥξει συμμαχήσων· οὗτος μὲν οὖν ὁ θεὸς (Πάν) ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἀγγελίᾳ τετίμηται.*

Ex Herodoti atque Pausaniae sententia igitur cultus Panis post pugnam Marathoniam primum Athenas pervenit. Quare si Epimenides anno 596 a. Chr. n. Athenas venit, (secundum Suidam. s. v. Epimenides: *οὗτος ἐκάθηρε τὰς Ἀθήνας τοῦ Κυλωνίου ἄγους κατὰ τὴν μδ' Ὀλυμπίαδα γηραιὸς ὤν.* cf. Griech. Zeittaf. von Dr. E. W. Fischer. p. 112. ad Olymp. 46. 1.) pugna ad Marathonem vero anno 490 a. Chr. n. commissa est; cultus Panis, quem Epimenides instituit, per centum deinceps annos omnino neglectus est, ita ut in oblivionem verteretur. Quare multi, quum hanc difficultatem perspicerent minimeque intelligerent, quomodo sublimis illa tragicorum de Pane sententia in tam parvo temporis spatio exculta sit, historiam illam, Epimenidem Panem Athenienses docuisse, omnino reiecerunt, atque eum ante pugnam Marathoniam cognitum non fuisse contenderunt.

Sed si quae supra de vario optimatum atque plebis cultu commemoravi mente perspiciamus, locus ille Eratosth. Catast. 27. et schol. Theocr. 1. 3. Epimenidem cultum Panis docuisse, bene intelligi potest. Epimenides enim secundum Plat. Legg. 642. Steph. et Aristot. Pol. 1. 1. 6. Athenas venerat a Solone accitus, ut urbem cum diis expiaret culpamque illam, in quam urbs nece sociorum Cylonis vocata erat, solveret. Quare cultum deorum praecipue religionemque restituisse videtur, atque quum non huic et illi deorum, sed *τῷ προσήκοντι* sacrificia offerenda esse censeret [1]), etiam cultum Panis, qui quum a nobilibus rejectus esset, fortasse hac temporum importunitate magis magisque in oblivionem venerat, iterum restituit. Nam quum plebs ab optimatibus magnopere urgeretur atque in maximum discrimen vocaretur, etiam cultus ejus atque religio jam antea invisa omnino ad ruinam vocata esse videtur, atque Solon, ut partes consociaret plebemque oppressam erigeret, cultum numinis ut ita dicam plebeii per Epimenidem iterum restitui curavit.

Epimenides vero, ne nobiles omnino offenderet, mythum Cretensium de Pane eos docuit, secundum quem Pan inter deos majores numerandus est, quum filius Jovis sit atque ab hoc inter sidera repositus.

Sed secundum Herodoti atque Pausaniae sententiam cultus Panis post pugnam Marathoniam primum Athenis cognitus est, multique fuerunt mythorum antiquorum scriptores, qui testimonio horum scriptorum nisi difficultates maximas, in quas irruant, minime intelligant.

Nam primo statim obtutu difficultas obiicitur, quomodo, si sententia Herodoti et Pausaniae valeat, factum esse putemus, ut quum ab

---

[1]) Plut. Sol. 12. Diogen. Laert. 1. 110. Athen. XIII, 78. p. 602.

Arcadibus cultum receperint, qui praecipue Panem deum pastorum coluerint, sublimis illa atque eximia apud Pindarum atque tragicos de eo sententia in tam parvo temporum spatio orta sit.

Accedit eodem, quod, quum in acropoli praecipue templum numinis, quod tutelae urbis praesit, non solum Athenis sed in ceteris etiam Graeciae urbibus fuisse constet, minus intelligi potest, quomodo Pani simul atque in urbe cognitus sit, spelunca in ipsa acropoli dicata sit. Quomodo vero cursus cum facibus, conjunctioque cum Prometheo definienda videantur, quae nisi ex natura ejus primitiva declarari non possunt, minime intelligo.

Sed illud quidem in ipsa locorum supra commemoratorum lectione in mentem venit, quare si apud Athenienses Pan antea cognitus non fuerit, hic quidem deus commemoratus sit, qui auxilium ferret, neque Athena, vel Apollo, vel Zeus aliusve deorum majorum. Sin autem deus Arcadum cognitus erat, qui gregibus praeesset, quomodo explicandum putamus, eum hoc loco dignitate multum sublimiore praeditum fingi, qualitatesque ei tribui, quibus eum apud Arcades minus praeditum inveniamus?

Praeterea etiam de oraculo Amphiarai, quod Oropi, in urbe in finibus Atticae et Boeotiae sita, antiquo jam tempore floruit, apud omnes cognitum est, eum, qui oraculum consuleret, sacrificia Amphiarao et decem numinibus, quae unum altare cum eo haberent, et inter haec Pani facere solitum esse. (cf. Philost. vita Apoll. II. 37.) Vigebat autem oraculum jam tempore Croesi, qui legatos ad deum consulendum miserat. (Schoemann. Gr. Alterth. II. p. 297.) Quare jam circiter annum 553 a. Chr. n. cultus Panis in Atticae urbibus cognitus erat, neque etiamsi Epimenidem cultum Athenas pertulisse putemus apparet, quomodo in paucis annis tantopere divulgatus sit, quum sententia Panem Oropi cum ceteris diis antiquo jam tempore cultum fuisse magis probabilis esse videatur.

Simulque et hoc magni momenti esse puto. Nam quod Hesiodus frag. 185. p. 293. Göttl. de cultu deorum contendit:

ὥς κε πόλις ῥέζῃσι, νόμος δ' ἀρχαῖος ἄριστος,

apud Athenienses non solum per legislatores, (Draco ap. Porph. de abst. IV. 22.) sed per oracula saepius commendatum est. Cicero de legg. II. 16. 40. Quare in recipiendo novo quodam cultu certe Athenienses sicut in aliis rebus, non per Phidippidem cursorem, sed per oraculi consultum ut publice sacra facerent, commotos esse conjicere licet. Sed hujusmodi apud scriptores nihil commemoratum legimus, quum Herodotus et Pausanias l. c. nihil nisi cultum post pugnam Marathoniam institutum esse , commemorent. (Schoemann. Opus. Ac. III. p. 438.)

Denique cultus Panis in antro prope Marathonem secundum Paus. I. 32. 7. antiquior fuisse videtur, quam ut post pugnam ibi commissam institutus esse possit. Quare praeclare Welckerus Griech. Götterl. p. 457. de antris:

> »Es ist wahrscheinlich, dass die dem Pan geweihten Höhlen aus fernem Alterthum überliefert, nicht etwa ein Product der philosophischen Betrachtung des Pan gewesen sind.« [1])

Quare ut paucis dicam in difficultates haud parvas delabimur, si sententiam eorum comprobamus, qui locos, quos supra commemoravi,

---

[1]) cf. Schoemann. Gr. Alterth. II. 469.

testimonia esse censent, Panem ante pugnam Marathoniam Athenis cognitum non fuisse.

Nuntius quidem, quem Phidippides refert, ab ipso fictus est, (cf. Schoemann. Op. Ac. III. p. 439.) et qua de causa hanc fabulam Athenienses docuerit, id nunc quaeritur.

Jam supra commemoravi, ante Epimenidis aetatem Panem cultumque ejus apud magnam incolarum Atticorum partem cognitum fuisse; Epimenidemque ipsum, cultum, qui temporum importunitate magis magisque in oblivionem conversus erat, iterum restituisse. Simul autem et illud conjicere licet, quum partes populi Atheniensis tempore Solonis magnopere inter se disceptarent, plebs vero contra optimates eorumque instituta repugnaret, ut plebem ejusque studia sibi conciliaret, a Solone per Epimenidem inter alia cultum Panis dei ut ita dicam plebeji auctum atque iterum institutum esse.

Sed quum post tempora Solonis partes iterum vehementissime inter se dimicarent, atque optimates jura plebis magis magisque laederent, ipsamque ex reipublicae administratione excludere studerent, primum statim religionem, cui plebis magna pars dedita erat, opprimere, deumque illum vanum irritumque reddere coeperunt. Quare quum periculum ante pugnam Marathoniam immineret, plebs certe, quominus arma caperet hostibusque jam in terram irruentibus resisteret, recusavit atque optimates tali modo in maximum discrimen vocavit. Itaque ut plebem timidam atque pertinacem commoverent, nobiles ad dolum fraudemque confugisse videntur, atque plebi deum, quem ipsa coleret et prae ceteris honoraret, quasi *πρόμαχον* constituerunt. Quare etiam deum *εὔνουν* finxerunt simulque *συμμαχήσοντα ἥξειν*. Post pugnam vero Marathoniam feliciter fausteque peractam cultus Panis publice in urbe habitus est, atque plebs tum demum quem jam primitus coluerat deum in publicum produxit.

Quae quum tali modo disposuerim, maxime perspicuum videtur esse, quare Panem in ipsa acropoli in spelunca quadam cultum inveniamus, Paus. 1. 28. 4. qui quidem cultus etiam in antro prope Marathonem sito viguit. Paus. 1. 32. 7. Simulque etiam quas supra commemoravi difficultates omnino corruunt, quum idea illa sublimis, quam apud tragicos de Pane legamus, simulque connexio illa cum Prometheo intima qualitatesque, quae ex solari ejus natura tantum intelligi possint, hac sententia sine ullo labore omnino perspicua sint. Bellis igitur, quae cum Persis gesta sunt, sicut forma civitatis libera reddita est, etiam cultus magnae incolarum partis publice receptus est; atque ex hoc tempore Athenis publicam Panis venerationem templaque in ejus honorem publice exstructa invenimus. [1]) Pausanias igitur atque Herodotus l. c. minime contra veritatem repugnant, si quae re vera facta sunt, quaeque post bella cum Persis gesta primum in lucem provenerunt, in rerum historia enarrant. Quare hic deus neque alius quisquam a nobilibus in fabulam, quam fingebant, recipiendus erat, si quae cuperent, plebem exsecuturam esse sperarent. [2])

---

[1]) Proclus ad Plat. Cratyl. 73. p. 39. Boiss.

[2]) Sententiam, Panem jam ante pugnam Marathoniam in Attica cognitum fuisse, etiam Schoemann. Griech. Alterth. II. 149 probat, si haec fere dicit: »Diesen (Pan) wie es scheint ursprünglich arkadischen (fortasse Pelasgischen?) Gott hatte in Attica vor dem ersten Perserkriege wahrscheinlich nur das Landvolk hie und da besonders in der Nähe von Marathon verehrt. Nach der Schlacht bei Marathon wurde er auch unter die Staatsgötter aufgenommen.«

Haec habui, quae de cultu Panis apud Arcades atque Atticos commemorarem. Quod ad insulas atque terras Peloponnesi, ubi eum cultum esse invenimus, adtinet, certis testimoniis comprobare non possumus, utrum ex Arcadia sive Attica, an ex Aegypto eo perlatus sit. [1]) Sed illud constat, cultum Panis postero tempore magnopere divulgatum esse, atque, quum aliorum deorum cultus in dies magis magisque evanesceret, diu adhuc floruisse, quoniam numen et forma et indole hominum animos obtineret. [2])

§. 7.

Parentes Panis. [3])

Magnopere scriptores veteres inter se discrepant, quibus parentibus Pan natus sit. In hymno enim Homerico v. 33—35. pater Panis Hermes, mater vero *νύμφη εὐπλόκαμος Δρύοπος* nominatur. Legimus autem praeterea esse eum filium Hermetis atque Penelopae, quam Hermes vi atque dolo compresserit atque forma capri indutus secum conjunxerit.[4]) Quod quidem in Arcadia, antequam Penelope Ulyxi nuberet, factum esse commemorant. Apud alios alias iterum de ejus ortu atque parentibus fabulas legimus, ex quibus studium quoddam elucet, eum aut cum Hermete aut cum Dionyso aut Apolline conjungendi, ita ut ex mythis ipsis quodammodo quae supra de tribus his diis commemoravi elucescere, simulque quo loco fabulae ipsae ortae sint, apparere videantur.

Quare jam ad singulas fabulas tractandas aggredior, easque quoad

---

cf. l. c. II. 469. Operae pretium esse videtur sententiam, quam Stuhr. Relig. Syst. (Berl. 1838.) T. II. p. 313 profert, hoc loco commemorare: »Ohne Zweifel stand die Aufnahme des Pan-Dienstes in Athen in einem innern Zusammenhang mit dem im Leben des Volks von Athen kräftiger erwachten Ringen um Freiheit und Gleichheit. Er war der Gott der nach höherer staatsbürgerlicher Bedeutsamkeit strebenden niedern Stände des Volks.«

[1]) Quod ad Cretam adtinet, Epimenides sententia, quam de Pane protulit, (Eratosth. Catast. 27.) cultum Panis ex Aegypto in hanc insulam pervenisse declarat. cf. de nexu hujus insulae cum Aegypto Movers. Phoen. I. p. 24. sq.
Quod vero ad alias Graeciae gentes adtinet fortasse contendere licet, in Panem, quum apud Dores Apollo *Καρνεῖος*, (Paus. IV. 31. 1. Pind. Isth. VI. 14. Pyth. V. 70. Welcker. Griech. Gttrl. p. 487.) qui etiam *τράγιος* et *νόμιος* (Welcker l. c. p. 485.) appellabatur, apud Aeoles vero Dionysus sublimioribus qualitatibus ornatus fingeretur, omnes horum qualitates, quae ad greges augendos atque tuendos spectent, translatas eumque postero tempore horum vice functum esse.

[2]) Welcker. Griech. Götterl. p. 454 sq. insolitam Panis formam multum valuisse declarat, quod tam diu cultus ejus apud Graecos floruerit.

[3]) cf. Genealogia Panis apud Lauer. Syst. d. Myth. p. 234. et quae Vaterus ad schol. in Eurip. Rhes. 36. p. 11. et 86. sq. emendandum, praeclare contulit.

[4]) Herod. II. 145: *ἐκ Πηνελόπης γὰρ καὶ Ἑρμέω λέγεται γενέσθαι ὑπὸ Ἑλλήνων ὁ Πάν.* cf. praeterea de genealogia Panis: Plut. de orac. def. IV. 110. Lucian. dial. deor. XXII. T. II. p. 76. Bip. Cicero de nat. deor. III. 22. Hygin. fab. 224. Serv. Verg. Aen. II. 43. Philargyr. Verg. Ecl. II. 32. schol. Theocr. VII. 109. Maxim. Synag. ad Greg. Naz. Stel. I. p. 141. cf. Meineke Anal. Alex. pag. 158. sq. Postero praecipue tempore fabulae diversissimae atque maxime absurdae de Panis parentibus divulgatae erant, quas apud Ahrens: Bucol. Graec. reliq. 1859. T. II. p. 34. nro. 15—25. legas.

possum ad fontem, ex quo emanaverint, reducere atque, quae iis supposita sit sententia, explicare studebo.

1) Plurimi quidem scriptores eo conveniunt, quod patrem Panis Hermetem vocant, de matre vero dissentiunt, quum praeter Penelopam, Dryops quaedam nympha [1]), quae Panem pepererit, vel Sosa nympha nominetur [2]).

Quaeritur autem hoc loco, quis sit sensus fabulae, qua Pan cum Hermete tam arcte connexus est, ut ab eo genitus dicatur. Si respicimus ad ea, quae supra de Panis apud Aegyptios natura diximus, esse eum quasi lumen quoddam primitivum, quod semina rerum in se contineat eaque in terram effundat, certe non miramur, eum Hermetis filium vocari, qui in natura sua duplex munus contineat, primum quidem ut ita dicam solare, quo res terrenas procreat, (Hermes ithyphallicus) [3]), alterum spirituale, quo rerum causas cognoscat rationesque intelligat. [4]) Ex intima autem conjunctione virium solarium cum humore quodam terreno [5]) (nam humor Dryops atque Penelope intelligenda est), gignitur Pan, qui natura sua numen illud coeleste simulque vires ad procreandum idoneas contineat. Quare, quod suo loco fusius explicare placet, Pan saepe cum Hermete commutatur locumque ejus in fabulis rerumque natura obtinet. [6])

Hanc vero Panis genealogiam apud Arcades ortam esse puto; hymnusque Homericus in Panem, qui simplicitate formae animum magnopere ad se allicit, fortasse antiquam Arcadum sententiam de Panis parentibus continet.

2) Cum his, quae dixi, intime arctissimeque cohaerere videtur aliud quoddam, quod apud Servium ad Verg. Georg. 1. 16 legimus, qui Panem filium Apollinis et Penelopae esse confirmat. Nam ex hoc Servii judicio consequi puto, Panis naturam solarem intime cum deo, quem postero tempore Graeci luminis auctorem venerabantur, cohaerere, ita quidem, ut adeo filium Solis eum praedicarent.

Fortasse fabula haec apud Dores orta est, quum quae de Apolline *Καρνείῳ* crederent, in Panem postea conferrent. [7]) In Gloss. MSS. in Verg. Georg. 1. (Mythogr. Lat. ed. Staveren. Lugd. Bat. 1742. p. 345.) legimus: Pindarus ex Apolline et Penelopa in monte Lycaeo editum (Panem) scribit. Si apud ceteros mons Cyllene patria Panis nominatur, apud Pindarum, si sententia illa veritate nititur, Lycaeum invenimus, quod vocabulum fortasse ex cognomine Apollinis *Λυκαῖος* ortum

---

[1]) Hymnus Hom. in Panem v. 34. In Anthol. Planud. IV. 229. Tanch. legimus:
Ἑρμείαν γὰρ ἄνακτα τέκεν νεφεληγερέτα Ζεύς,
αὐτὰρ ὅγ' Ἑρμείας Πᾶνα τὸν αἰγελάτην.

[2]) Hemsterh. ad Luc. dial. deor. XXII.

[3]) Nonn. Dionys. XIV. 87. Cicero. de nat. deor. III. 22.

[4]) Est autem Hermes, quod alio loco jam explicavi, motor omnium rerum, quem *κόσμον* vocare licet, et qui ignem coelestem, numina solaria quasi gubernat et regit. cf. Creuzer. Symb. III. 240. I. 389. II. 327. 329. IV. 81. Welcker. Griech. Gttrl. p. 342.

[5]) cf. quae Eryximachus in Plat. Symp. 186. E. et 188. A. de vi *ξηρῶν καὶ ὑγρῶν ἁρμονίας καὶ κράσεως* profert.

[6]) Quare quod apud Macrob. Sat. 1. 21 legimus, *Ἑρμῆς τε κλυτὸς Πὰν εἷς θεός ἐστιν*, veritate nititur, cum quo consentire videntur Joan. Lyd. de mens. p. 118. Paus. VIII. 30. 6. quo loco Pan et Hermes uno templo utuntur. cf. praeterea, quae Lobeck. Aglaoph. p. 463. et Welcker. Gr. Gttrl. p. 333. sq. de Hermete dicunt.

[7]) cf. quae Welcker. Gr. Gttrl. p. 469. de Apolline *Καρνείῳ* loquitur.

est. Inest autem studium quoddam Panem cum antiquissima religionis Arcadicae sede conjungendi.

3) Secundum quosdam genealogos Pan filius Jovis nominatur. Quantus vero in patre nominando consensus, tanta in matre, quae fuerit, referenda dissensio. Sunt enim, qui Callistonem nympham matrem Panis fuisse dicant [1]), alii vero ex Hybri sive Thymbri eum genitum, alii denique ex Oenëide nympha eum ortum esse confirmant. [2])

Ex hac tanta opinionum sententiarumque dissonantia primum illud jam facili negatio intelligi posse puto, cur in his fabulis filius Jovis appellatus sit. Nam si, ut jam saepius explicavi, Pan deus ignis aetherei esse videtur, si in aethere atque in coelo fulget ibique, etsi sensibus non percipitur, tamen lumen quoddam occultum lucet atque ex se lumina stellarum emanat, quid est, cur miremur, eum filium Jovis nominari, qui quum aether ipse sit, ex se Panem, lumen aethereum, procreavit? Hoc etiam ex ipso hymno Homerico jam elucere puto, secundum quem, tametsi Hermes pater Panis praedicatur, tamen infans Pan in Olympum a patre portatur [3]), quo quid aliud declarari putamus, atque hoc, Panem aethereum esse deum?

Matrem vero modo Callistonem nympham, modo Thymbrim, modo Oenoïdem commemoratam invenimus, atque ad haec nomina explicanda jam transgredior.

Callisto, [4]) ex fabula mater Arcadis, (fratris Panis ex hac fabula) a Jove in coelum recepta est, ibique fulget Arcturus, de quo praeclare Homerus [5]):

Ἄρκτον θ' ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν,
ἥτ' αὐτοῦ στρέφεται καὶ τ' Ὠρίωνα δοκεύει,
οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο.

Pan igitur, si cum hac nympha [6]) conjungitur, etiam in coelo quodam munere fungatur necesse est. Sed jam ex iis, quae supra commemoravi, apparet, eum esse solem sive lumen aethereum, quo omnes res regantur simulque lucem recipiant. Cetera vero coeli lumina, ut planetae septem, praecipue viam praescriptam perambulant lucemque a sole recipiunt atque iter lege quadam praescriptum conficiunt. Praeterea etiam saepe cum Hermete commutatur, qui in coelo sub Sirii (*κύων*) imagine refulget custodiamque quandam ceterarum stella-

---

[1]) Epimenid. in schol. Theocr. 1. 3.

[2]) Locos collegit Creuzer. Symb. III. 243. Schwenck. Etym. Myth. Andeut. p. 213.

[3]) Hymn. Hom. in Pan. v. 42.

[4]) Apollod. III. 8. 2. Paus. I. 29. 2. VIII. 35. 7. cf. praeterea C. O. Mueller. Proleg. p. 75. Creuzer. Symb. III. 262.

[5]) Hom. Il. XVIII. 487. cf. Eurip. Hel. 375. Propert. II. 28. 23. cf. Heyne observat. ad Apollod. p. 265.

[6]) Fabulam, parentes Panis Jovem et Callistonem fuisse, in Creta praecipue, uti ex schol. Theocr. 1. 3. elucet, fictam esse puto, atque haec magnopere convenit cum alia quadam, quam apud Lydum de mens. 1. 12. p. 30. legimus: matrem Esmun, i. e. coeli, quod stellas in se contineat, esse stellam, ut ita dicam, polarem, quam veteres Arcton vocant. Quare Esmun, octavus inter Cabiros, cum Pane omnino consentire videtur. cf. Nonn. Dion. XXXXI. 22. Movers. Phoen. I. p. 652.

Itaque non erramus, si cultum Panis ex Aegypto in Cretam perlatum esse putemus, quum quae apud Aegyptios inveniamus eadem, forma quidem mutata, etiam in Cretensibus fabulis reperiamus. Nam pro stella polari matre Esmun, Callisto supposita est, quae secundum Graecorum mythologiam in Arcton mutata est. Quando vero mythus in Cretam insulam pervenerit et a quo commutatio illa facta sit, propter testimoniorum defectionem demonstrari nequit.

rum obtinet. Quare Pan, ut ita dicam, deus Sirii esse videtur, magnumque stellarum in coelo chorum ducit. (Creuz. Symb. III. 240. I. 389. II. 327. IV. 81. Welck. Gr. Gttrl. p. 342.)

Sin autem Panem filium Thymbris sive Hybris (quod vocabulum certe corruptum est ex Thymbris) legimus, haec fabula ad Apollinem spectat, qui quum munere vatis fungatur Thymbreus appellatur. [1]) Quare haec fabula omnino cum Panis natura consentit neque ulla interpretatione eget.

Majorem vero difficultatem fabula illa nobis praebet, secundum quam pater Panis Jupiter, mater vero Oeneïs nominatur. [2])

Oeneïs illa ex etymo ab *οἶνος*, vinum, atque *οἴνη* sive *οἰνή*, quod vocabulum ad *οἶνος* sive *οἶος* pertinet, derivari potest [3]) et utrum illam an hanc significationem vocabuli recipiamus in ambiguo est.

Si ab *οἶνος* (vinum) vocabulum ortum esse accipiamus, ad cultum Dionysi, cum quo Panem saepius conjunctum videmus, fabula respicere atque indicare videtur, stellam Panis sive Sirium uvis praecipue favere ad easque maturandas plurimum conferre. Sed Pan, quoniam deus caprinus erat, etiam vitibus perniciosus esse poterat, quare, ut Pausanias II. 13. 4. refert, Phliasii caprum colebant et venerabantur, ne vitibus noceret.

Difficilis vero fabulae definitio atque expositio esse videtur simulque ad doctrinam quandam obscuram spectare, si vocabulum ad radicem *οἴνη* pertinere putamus.

Ex Hesychio l. c. apparet, apud Jones veteres monada sive unum *οἴνη* vocatum esse. Hanc vero monada Pythagorae discipuli etiam *ὑπεριονίδης* nominabant et quae natura ejus fuerit, quum ex Plutarcho de Ei apud Delphos p. 389. A., tum ex ipsa Pythagoreorum doctrina concipi atque intelligi potest.

Plutarchus enim l. c. Apollinem monada appellat, Pythagorei vero illud, quod monada sive *ὑπεριονίδης* nominant, saepius *ἥλιον νοητόν* vocare solent. Joan. Lyd. de mens. p. 15. Quare sensum fabulae omnino cum natura Panis, quam statuimus, et quem ex sensu Pythagoreorum *ἥλιον νοητόν* nominare possumus, cohaerere puto. Sed hanc, quam proposui, definitionem relinquo, quum eam magis ad posterius tempus spectare atque pertinere appareat, illamque amplecti atque probare placet, ex qua vocabulum Oenoë cum *οἶνος* cohaeret, praesertim quum sensus omnino se ad naturam dei applicare intimeque cum ea cohaerere videatur.

4) Denique ad illam fabulam me converto, quam apud schol. Theocr. 1. 123. legimus, ubi pater Panis Aether, mater vero Nereïs appellatur. In hac autem fabula explicanda de Aethere verba non faciam, quoniam

---

[1]) Apollod. 1. 4. 3. schol. Lycophr. 772. schol. Pind. ad Arg. Pyth. Macrob. Sat. 1. 17. 49. cf. Schwenck. Etym. Myth. And. p. 214. Vocabulum *Θύμβρις* et *Ὕβρις* idem esse videtur secundum schol. Theocr. 1. 18. (ex Vatic. 3. 5.)

[2]) Aristipp. in schol. Theocr. 1. 3. *Ἀρίστιππος δὲ ἐν τῷ Ἀρκαδικῶν, Διὸς καὶ νύμφης Οἰνηΐδος* (*Πᾶνα υἱὸν λέγει*). Multa de Oeneïde in fabulis sunt. cf. Apollod. III. 12. 6. schol. Lycoph. 57. 61. Fortasse mythus de Oeneide matre Panis in Attica ortus est, ubi prope Marathonem vicum Oenoë vocatum invenimus, Strabo VIII. p. 383. atque vel ad Dionysi cultum vel ad antiquissimam hujus vici religionem cultumque Panis, qui ibi vigebat, spectat. Nam saepius, ubi deum quendam praecipue cultum, ibi etiam fabulam de ejus ortu atque parentibus invenimus.

[3]) Phot. lex. s. v. *οἰνίζειν*. Hesych. s. v. *οἴνη*. p. 730. *οἰνίζειν καὶ μονάζειν κατὰ τὴν γλῶσσαν* (sc. Jonicam, secund. Alberti. ed. Hesych. L. B. 1746.) cf. Salmas. in Vopisc. p. 472. a.

omnia, quae afferre possum, cum iis, quae de Jove supra commemoravi, consentiunt [1]); sed de Nereide paulo fusius disserere placet.

Secundum Hyginum Astr. II. 28. Pan, quum a Typhone Aegyptio urgeretur, in Nilum sese conjecit atque ex fuga salutem quaesivit. Deinde etiam Typhonem retibus continuit atque ligavit, quare etiam piscatores eum prae ceteris in honore habebant. [2]) Quae quum ita in fabulis sint, multi et ii doctissimi viri hunc mythum ad Aegyptum pertinere censuerunt in eoque id contineri, quod coelum cum humore sive terra se conjunxerit. [3]) Hic autem fabulae sensus, quamvis omnino placeat, tamen ad theogoniam Aegyptiam spectet necesse non est, quum, si ex Graeca eum interpretemur, sensus fabulae ab illo omnino non dissentiat.

Nam Nereïs (a *νάω* fluo) nympha, filia Nerei, etiam humorem indicat [4]), atque Pan filius Aetheris atque Nereïdis nihil aliud significare videtur, nisi emanationem ut ita dicam quamdam luminis proliferi coelestis in terram, quae illud recipiat. Quae quidem sententia augetur atque fulcitur fabula, qua Pan filius Urani atque Gaeae nominatur, quae, uti apparet, ex hac de Aethere et Nereïde orta est.

5) Postremo ad fabulam quandam obscuram progredior, quae certe in mytho Panis novissima et transferendo naturam dei Hermetis in homines orta esse videtur. [5]) Nam si Pan filius Ulixis atque Penelopae nominatur, certe Ulixes, quem Graeci *πολύτροπος*, *πολύτλας* appellare solent, Hermetem in hominis forma ostendit.

Atque etiam ex illa fabula maxime obscoena, Penelopam ab omnibus procis Panem peperisse [6]), sicut elucet, sero eam ortam et quasi quendam grammaticorum ludum esse, sic fortasse memoriam in ea remansisse speciem prae se fert, deum solis luminisque aeterni omnium stellarum lumina in se continere. [7])

6) Etiam quandam distinctionem et differentiam Panis, ut ita dicam, invenimus, si legimus Hermetem ex nympha quadam Panem vatem, ex Penelopa venatorem deumque rusticum genuisse. [8])

Haec et alia hujuscemodi omitto, quum minoris momenti esse videantur atque artem vaticinandi in Pane declarandi studium prae se ferant.

Haec habui quae de ortu Panis ejusque parentibus proferenda videbantur, quaeque, quamvis tam varia tamque diversa primo statim obtutu sint, tamen in unum conveniunt, Panem numen quoddam solare ex aethere atque igni aeterno procreatum esse.

---

[1]) Chronus pater Panis vocatur in schol. Eur. Rhes. v. 36, atque Vaterus ad hunc locum p. 87, eum ita *παππωνυμικῶς* appellatum esse putat, sicuti Pelops apud Pind. Olymp. III. 24. atque Dardanus apud Eur. Troad. 1288. *Κρόνιος* vocatur.

[2]) Schol. Soph. Aj. v. 707.

[3]) Creuzer. Symb. III. 254.

[4]) Schwenck. Etym. Myth. And. p. 80.

[5]) Schol. Theocr. 1. 123. Serv. ad Verg. Georg. 1. 16.

[6]) Tzetzes ad Lycophr. Cass. 112. Philem. lex. s. v. *Λαερτιάδης*.

[7]) Penelope (derivatur nomen a *πῆνος* s. *πήνη*, *πήνω* cf. Welcker Nachtr. z. Tril. 222.) fortasse ob eam causam mater Panis appellatur, quoniam tempus infinitum repraesentet, atque quod interdiu composuerit, noctu deinceps solvat, sicut in ordine temporum infinito quae oriantur deinde mox evanescant. cf. Meineke. Anal. Alex. p. 159.

[8]) Schol. Pind. ad arg. Pyth. *ἔμαθε καὶ τὴν μαντικὴν τέχνην Ἀπόλλων ὑπὸ τοῦ Πανός, οὐ τοῦ Ἑρμοῦ καὶ Πηνελόπης, ἀλλὰ τοῦ Διὸς καὶ Θύμβρεως.* cf. Nonn. Dionys. XIV. 87. Joan. Lyd. de mens. p. 118. Euseb. Praep. evang. VI. p. 114. Corn. de nat. deor. X. Macrob. Sat. 1. 17. Isid. Orig. VIII. 10. Cicero de n. deor. ed. Creuz. III. 22. p. 610. sq.

§. 8.

Forma corporis Panis.

Secundum Herodoti testimonium II. 46. Aegyptii sicut Graeci Panem *αἰγοπρόσωπον καὶ τραγοσκελέα* fingunt; atque ex hoc Herodoti loco illis quidem temporibus hanc formam usitatissimam fuisse conjicere licet. Et si scriptorum testimonia vetustissima animo perpendamus, hanc formam antiquitus usitatissimam jam fuisse consequitur, quamvis quod ad Arcades adtinet ex cognominibus *Σινοείς*, Paus. VIII. 30. 2. *Σκολείτης*, quod multi putaverunt, nihil consequi videatur.

Jam scriptor hymni Homerici in Panem eum *αἰγιπόδην, δικέρωτα,* (v. 2.) *ἀγλαέθειρον*, (v. 5.) *αὐχμήεντα*, (v. 6.) *ὄψιν ἀμείλιχον, ἠϋγένειον* (v. 39.) *ἔχοντα* describit; etiam Thespis (cf. Hemsterh. ad Luc. dial. deor. p. 320. Bip.) Panem *δικέρωτα* nominavit, atque haec ejus forma apud posteros remansit, sed ita remansit, ut apud Pindarum atque tragicos qualitates animi formam superent, atque haec omnino negligatur. In epigrammate quodam (Anth. Plan. IV. 228. Tauch.), quod Alcaeo epigrammatum scriptori Messenio tribuere sclent, Pan *λαροῖσιν χείλεσιν εὐκελάδῳ σύριγγι χέων μέλος* nominatur.

Deinde vero quum poetae comici in comoediis saepius *Πανὸς γονάς* describerent ridiculumque formae depingerent, fieri non potuit, quin apud ceteros quoque poëtas in forma Panis depingenda haec comicorum descriptio magni momenti esset, quamvis apud Aristophanem, ubi de Pane mentionem facit, praeter locum Ran. 230. quo *κεροβάτης* nominatur, qualitates Panis sublimiores relatas legamus.

Quare jam Simonides (Anth. Plan. IV. 232. Tauch.) eum *τραγόπουν* appellat; et in epigrammatibus vocabula *δασύκνημος*, l. c. 233. Nonnus Dion. XIV. 81. *αἰγόκερως*, l. c. 234. *αἰγομελής*, hym. Orph. 10. 5. *αἰγόνυξ*, Plan. 258. *αἰγοπόδης* et quae sunt generis ejusdem usitata legimus. Apud Lucianum vero dial. deor. 22. 1. 2. *κέρατα ἔχων καὶ πώγωνα λάσιον καὶ σκέλη διχαλὰ καὶ τραγικὰ καὶ οὐρὰν ὑπὲρ τὰς πυγάς* describitur, atque verbis ipsis cultus ejus non minus deridetur, quam dialogi totius sententia. Quae quum ita se haberent, minime mirum esse potest, si in statuis atque vasis, quae hodie quoque exstant, formam ejus maxime ridiculam vel obscoenam adeo inveniamus, quum quod poëtae scriptoresque illius temporis formaverint, hoc fictores defingerent. [1])

Romani vero scriptores in Pane describendo posteros Graecorum poëtas secuti videntur, quod ex Lucretio de rer. nat. IV. 585, qui Panem pinea semiferi capitis velamina quassantem et unco labro calamos percurrentem hiantes fingit, luculentissime apparet. Apud Ovidium autem semicaper, Met. XIV. 515; bicornis, fast. V. 99. corniger, heroid. V. 137. nominatur, cui horrebant densis aspera crura pilis. fast. II. 368.

Neque minus poëtae epici sequentis temporis comicos Graecorum poëtas imitatos esse atque in ridicula Panis forma describenda operam consumsisse videntur. Quod quidem ex Silio Italico XIII. 327. sq. elucet, qui voluptate quadam captus in cauda formaque accuratissime describenda quasi ludit. Pan enim, dicit l. c.

---

[1]) Welcker. Tril. p. 77. Winkelmann. Opusc. VIII. 196. Schwenck. Myth. d. Griech. tab. X, 3. Gerhard. Hyperb. Roem. Stud. II. p. 109. n. 74. p. 110.

dextera lascivit caesa Tegeatide capra
verbera laeta movens festa per compita cauda.
cingit acuta comas et opacat tempora pinus,
ac parva erumpunt rubicunda cornua fronte,
stant aures imoque cadit barba hispida mento.
. . . .
Interdum inflexus medio nascentia tergo
Respicit arridens hirtae ludibria caudae.

Apud Valerium Flaccum III. 49. Panis setigerum latus et torvae coma sibila frontis, et vox omnes super una tubas metum et terrorem in hostium animos injecisse traditur. Scriptores vero Latini, qui postero tempore commentaria composuerunt, in forma Panis describenda omnes omnino sententias undique desumptas cumulaverunt. [1])

Si quae supra commemoravi respicimus, minime mirandum videtur, si Panem *θῆρα* Athen. X. p. 455. A. nominatum legimus. Castorion apud Athen. l. c. dicit:

σὲ τὸν βόλοις νιφοκτύποις δυσχείμερον
ναίονθ᾽ ἕδος, θηρονόμε Πὰν, χθόν᾽ Ἀρκάδων
κλήσω γραφῇ τῇδ᾽ ἐνσοφῇ πάγκλειτ᾽ ἔπη
συνθεὶς ἄναξ δύσγνωστα μὴ σοφοῖς κλύειν
Μουσοπόλε θὴρ, κηρόχυτον ὃς μείλιγμ᾽ ἱεῖς.

Sed minime concludi licet, illis temporibus, quibus religio cultusque nondum in ridiculum atque lasciviam converterentur, cultum hujus dei ob neglectam formam minus valuisse. Nam si quae Pindarus, Aeschylus, Sophocles, Euripides et ipse Aristophanes de Pane praeclarissime dicant, perpendamus, non possumus, quin apud hos poëtas praestantissimos dignitatem excellentiamque ejus prae forma valuisse profiteamur. Quare praeclare Welckerus Griech. Götterl. p. 63: »Dass im Arkadischen Pan die Bocksnatur bis zuletzt haften geblieben ist, hat er in einer niedern Schichte der Gesellschaft ernstlichem Aberglauben, in andern der ironischen und künstlerischen Laune zu danken gehabt.«

Quid vero si Jovem et Dionysum cornua gestantem inveniamus? [2]) Et ne de Hermete ithyphallico et de Priapo mentionem faciam, nonne eorum forma minime cum natura eorum consentire videtur? Aut cur testimonia de antiquissimis deorum simulacris afferam, quum Phigaliae, in urbe Arcadiae, Eurynomen corpore piscino, Demetrem capite equino atque setis obsito fictam inveniamus? [3]) quum Junonem Thespiis sub effigie trunci rudis cultam esse constet [4]), in insula Samo, Callimacho teste [5]), sub effigie tabulae (*σανίς*), Argis vero columnae altae (*κίων μακρός*)? Artemis autem Icaria describitur *ξύλον οὐκ εἰργασμένον*, lignum indolatum [6]); Athena erat *λεῖον ἕδος* [7]) et a Tertulliano [8]) Pallas Attica crucis stipes, Ceres Pharia, rudis palus et informe lignum sine effigie nominantur. [9])

---

[1]) Serv. in Verg. Ecl. II. 31. Isid. Orig. VIII. 11. Albric. phil. IX. p. 914. in Myth. lat. ed. Staveren.
[2]) Silius Ital. III. 104. Athen. XI. 51. p. 476.
[3]) Paus. VIII. 41. 6.
[4]) Clem. Protrep. IV. §. 46. p. 40. Arnob. adv. gent. VI. p. 246.
[5]) Euseb. Praep. evang. III. 8. Clem. Strom. 1. 23. §. 164. p. 418.
[6]) Clem. Protrep. IV. §. 46.
[7]) Euseb. Praep. evang. III. 8. Tertull. adv. gent. XVI.
[8]) Tertull. adv. gent. l. c.
[9]) Athen. XIV. p. 614. cf. Paus. VII. 22. Böttiger. Id. z. Kunstmyth. II. 134. not. cf. de antiquissima deorum imaginum forma Gerhard: Hyp. Roem. Stud. II. p. 239. p. 243. n. 48. p. 244. n. 53.

Quare sicut aliorum numinum rudis forma etiam postero tempore remansit atque adeo magnopere auctoritatem auxit, sic etiam Pan, quam antiquo tempore formam obtinebat, eam servavit, atque non modo in Arcadia non commutatus est, sed etiam apud populos artium literarumque studio praestantissimos excellentissimosque partes illas ferinas cum forma humana conjunctas obtinuit. [1])

§. 9.

Natura Panis ejusque qualitates.

Primo statim obtutu contendere licet, primitus non omnes easdemque qualitates, quas in Pane invenimus, ab omnibus ei tributas esse, neque apud Arcades sicut apud ceteras Graeciae gentes eandem cultus formam viguisse; quum quantum in cultu deorum formando mythoque ornando tempora, populi cujusdam indoles et quae sunt generis ejusdem valuerint, satis inter omnes constet. Nam quum poëtae posterioris temporis praecipue comici et bucolici, quos vocant, in natura ejus fabulis ornanda tempus operamque consumerent, de ejus natu, forma, amoribus multa orta sint necesse erat, quae deinceps in publicum prodita maximam praecipue in fictores vim exercebant. Quare ex his temporibus multa, quae in vasis et statuis ficta invenimus, temporis, quo orta sint, indolem declarant.

Diversissima vero quae in Pane invenimus attributa disjunctissimaeque ejus qualitates proprietatesque quomodo in unum deum convenerint, certe intelligere beneque perspicere non valemus, nisi ad primitivam ejus naturam regrediamur. Duplicem autem, sicut supra jam commemoravi, in eo formam invenimus et solarem ut ita dicam et terrenam, quarum altera lumen quoddam aethereum, altera vim quandam terrenam exprimit. [2])

Ex hac autem duplici ejus natura, quas qualitates in eo invenimus, omnes emanare facilique negotio deduci posse videntur. Itaque jam ad singula explicanda atque pertractanda transgredior.

1) Pan erat Arcadum deus, qui gregibus praeerat, (νόμιος θεός [3]) atque in iis augendis atque conservandis maximum auxilium praestabat. Quare prae ceteris ei greges praecipue autem caper sacrati erant [4]);

---

[1]) Sed exstant hodie statuae imaginesque complures Panis, in quibus partes illae ferinae omnino neglectae atque omissae sunt. cf. Gerhard. Hyperb. Röm. Stud. T. II. p. 109. 73. 74. p. 110. 76. 77. 78. 79. 80. 81.

[2]) Si Buttmann. Myth. 1. 13. contendit: »In spätrer Zeit wurden Götter bloss dazu erdacht, um ihnen die Meisterschaft über dieses oder jenes Geschäft beizulegen, aber diese gehören in die Klasse eines Pan«, cet. secum minime consentire videtur, quum alio loco I. p. 169. not. contendat, Panem esse primitus numen quoddam solare. Vim solarem Panis ex columnis Panis, quas Panis Hermas vocare solent, praeclare demonstravit Gerhard. Hyp. Roem. Stud. II. p. 242. n. 45. cf. II. p. 218. et. II. p. 272. sq. c. n.

[3]) Paus. VIII. 38. 11. Ovid. fast. II. 277. Serv. ad Verg. Georg. 1. 16. Anthol. Plan. IV. 227. Tauch. Zonaras. lex. s. v. ἀλιπλάγητος.

[4]) Caprum praecipue signum fertilitatis in cultu deorum, qui frugiferi habebantur, invenimus; ut Dionysi, Nonn. Dion. XIV. 154. Veneris, Tacit. hist. II. 3. cf. Lucian. dial. deor. IV. 2. et Hetaer. VII. 1. Arnob. adv. gent. VII. 21. Est enim caper symbolum quoddam nubium, ex quibus pluvia fertilis decidit. cf. Lauer. Arch. Zeit. 1849. n. 3. System d. Gr. Myth. p. 402. Gerhard. Gr. Myth. 1. 18. §. 40. 5. 6. Ad frugiferam Panis qualitatem pertinet etiam

atque in Attica prope Marathonem antrum Panis ostendebatur, in quo lapides dispersi sicut caprae jacebant.[1]) Nam quantam vim sol ceteraque sidera in res terrenas exerceant, id praecipue animalia eorumque vita demonstrant. Quare etiam pastores prae ceteris diis eum colere eique sacra facere solebant.[2])

2) Non minus autem, quam pastoribus etiam agricolis benevolus deus erat, quoniam ex natura sua etiam fruges augeret atque bene verteret.[3]) Quam arcte autem cum Demetre, segetum fautrice, conjunctus fuerit, ex fabula Paus. VIII. 42. facile intelligitur, qua Pan Jovi, quo Demeter aufugerit, ostendit. Sed accedunt eodem etiam aliae fabulae de Pane passim narratae. In Arcadiae montibus enim, quum sub arietis specie Demetrem in silvam quandam pellexisset, eam oppressisse ejusque amore fructum esse veteres scriptores narrant.[4])

---

cornu Amaltheae, quod ei tribuitur. cf. Pellerin. Recueil. T. 1. p. 37. Ea de causa Pan etiam αἰγιβάτης Theocr. Epig. V. nominatur. cf. Jacobs. A. P. p. 739. Ad frugiferam Panis naturam praeterea pertinet, si pinus ei sacrata erat. Apud Lucian. dial. deor. XXII. 4. (cf. Hemsterh. ad h. l. V. p. 269.) Pan cum Pitu (πίτυς) conjunctus est. Pinus vero in cultu Magnae Matris atque in Thesmophoriis celebrandis magnum locum obtinebat, fertilitatemque frugiferam naturae significabat eaque de causa cum phallo conjuncta erat. cf. Nonn. Dionys. XII. 55. Plin. h. n. XVI. 10. Arnob. adv. gent. V. 16. 39. p. 72. et Orelli. ad hunc locum T. II. p. 295. et p. 336. Pani vero saepius caput pinu praecinctum est; Ovid. Met. 1. 699. Sil. Ital. XIII. 328. et quum pinus propter significationem frugiferam ei sacrata esset, consuetudo erat pastorum, ut pinus altas ei sacras esse vellent. Maxim. Tyr. VIII. 2. Voss. ad Verg. Ecl. VII. 24.

[1]) Paus. 1. 32. 7. Serv. ad Verg. Aen. VIII. 343. Strabo XVII. 1. p. 429. Lucian. dial. deor. XXII. 3. cf. schol. Aristoph. Lysist. 2. et 722. Hoc vero antrum certe antiquissimo jam tempore Pani sacratum erat, atque, quo loco in Attica cultus Panis praecipue floruerit, optime declarat. Videas quae supra de cultu Panis in Attica commemorata sunt.

[2]) Theocr. 1. 123. c. not. Fritzsche. Theocr. epigr. IV. 13. Mosch. Oarist. 53. Pani sicut Jano Italorum sacrificia lactis (Tibull. II. 5. 27.) et mellis offerebantur; quae quidem prima deorum alimenta fuisse putabantur. Porphyr. de antr. Nymph. XVI. Praeerat enim Pan sicut gregibus, etiam piscibus atque apibus, nominatur enim μελισσοσόος Anth. Gr. IX. 226. cf. Klausen. Aeneas u. d. Penat. 1. p. 187. Quod ad apes adtinet, proprietates quasdam Panis miro quodam modo in iis invenimus, quae intime cum ejus natura cohaerere videntur. Nam sicut sol cursum quotidie conficit, atque vita in rerum natura quotannis emoritur, numquam vero omnino perit, sed ex ipsa nece novas vires recipit, sic etiam melle apium et mors et immortalitas significatur. schol. Pind. Pyth. IX. 113. Plin. h. n. VII. 55. Eurip. Iph. Taur. 165. 636. Apoll. Rhod. III. 1034. Sil. Ital. XIII. 415. Accedit eodem, quod apes numero et harmonia gaudent, Ael. hist. an. V. 13. Plin. h. n. XI. 20. Ovid. fast. III. 739; simulque animosae bellicosaeque putabantur, Arist. hist. an. IX. 40. Ael. h. an. XVII. 35. Plin. h. n. VIII. 58. XI. 17; ita ut Vergilius Georg. IV. 219. contendat esse in apibus partem divinae mentis. Quas quidem proprietates in Pane quoque invenimus, ita ut sacrificium mellis sicut capri et lactis ad naturam ejus explicandam haud parvum valeant. Pisces autem deo sacrati erant, quoniam magnam fertililatem habent, simulque mari, in quo vivunt, vim fecundam naturae significant. Eadem de causa apud Phoenices Derceto semipiscis fingebatur; Lucian. de dea Syr. 14. Diod. II. 4. Athen. VIII. p. 346. Plut. de superst. 40. Non differt vero de hac fabula, quam aliam ab Hygino Astr. II. 22. narratam supra commemoravi. Macrobius Sat. 1. 21. 27. de piscibus haec fere dicit: »quos (pisces) consecravit soli, non aliqua naturae suae imaginatio, sed ostentatio potentiae sideris.« Secundum Paus. VII. 22. 2. etiam Hermeti pisces sacri habebantur.

[3]) Serv. ad Verg. Georg. III. 391. Eclog. IV. 58. Quare ab Euripide in Electr. 704. ἀγρῶν ταμιάς i. e. dominus et rex agrorum vocatur.

[4]) Porphyr. de antr. Nymph. XX. Quint. Cal. X. 126. schol. Apollon. IV. 56.

Haec vero fabula quid aliud sibi vult, quam vim et potentiam solis ostendere, qui cum natura frugifera quasi concubitum ineat. Quare hic mythus de concubitu Panis atque Demetris nihil differt ab alio, quem de Pasiphaë legimus, quae cum tauro aliquando concubitum inierit [1]), aut ab alio, secundum quem Hermes cum Proserpina eodem modo convenerit. [2]) Ad illam autem de Demetre fabulam spectat, si Megaris Ceres cum ariete colebatur, et *μαλόφορος* nominabatur.

Pertinet autem ad hanc dei qualitatem etiam quod apud Pindarum [3]) legimus, qui Panem *πάρεδρον* Matris Deorum vocat, eumque cum dea, quae fertilitati frugum praeest, tam arcte conjungit.

Sed haec praetereo atque ad alias dei proprietates transeo, quae quasi sua sponte ex natura dei frugiferi fertilitatemque praebentis consequi videntur.

3) Nominatur enim Pan saepissime a poëtis *ἀγρεύς* venator [4]), comes Artemidis, qui feras a cubilibus excitet [5]); nam si praecipue fecunditatem animalibus praebet, etiam dominus eorum est. Vis vitalis autem et frugifera, ut ita dicam, totum peragrat orbem terrarum, vitam necemque prae se ferens, ut ex nece novam recentemque vitam eliciat. Neque ab hoc abhorret, quando apud Theocr. V. 14. *Πὰν ἄκτιος*, qui apud Arch. jun. X. 10. cognomen *αἰγιαλίτης* habet, deus piscatorum nominatur; et hi quoniam etiam venatores sunt, eum prae ceteris venerantur. [6])

Macrob. Sat. V. 22. Verg. Georg. III. 391. Nominatur inde Luna etiam *ἐπιτράγια*; Plut. Thes. XVII. *παμπανῶ* Hesych. s. v. T. II. p. 848. Alb. i. e. omnia pascens vocatur, quoniam gregibus etiam praeest. Callim. hym. in Demet. 137. Nonn. Dionys. XXXXI. 22. 23. cf. Movers. Phoen. 1. p. 533.

[1]) Apollod. III. 1. 4. Ovid. ars am. I. 295.

[2]) Cicero de nat. deor. II. 22. ed. Creuz. p. 291. cf. cum hoc loco Ciceronis, Arnob. V. 21. ubi Jovem tauri forma imbutum, Cererem oppressisse legimus inque gremium ejus capri testiculos conjecisse.

[3]) Pind. Pyth. III. 137. 139.

[4]) Hesych. s. v. *Ἀγρεὺς ὁ Πὰν παρὰ Ἀθηναίοις*. fragm. Apollod. ed. Heyne p. 402. Paus. VIII. 42. 3. Anth. Plan. X. 10. v. 58. Tibull. II. 5. 27. Theocr. epigr. III. *ἀγρεύει δέ τυ Πάν κ. τ. λ.* hym. Orph. XI. 9. Callim. hym. in Art. 88.
Si apud Callimachum l. c. legimus, Panem Artemidi canes dedisse, fortasse praeter proprietatem dei, quae ad venationem pertinet, etiam ad vim lucidam atque solarem respiciendum esse videtur; quum canis signum Sirii atque caloris sit. Plut. de Is. p. 356. p. 463. Wyttenb. Ita etiam canem in cultu Jovis et Cybeles invenimus. cf. Creuzer. comment. Herod. 1. p. 232. cf. Propert. III. 13. 45. sq.

[5]) cf. Gloss. MSS. in Verg. Georg. I. apud Staveren in edit. Mythol. Lat. Lugd. Batav. 1742. p. 345. Venatores Pani post venationem feliciter peractam dona referunt; Rhian. fr. 7. ap. Meinek. Anal. Alex. p. 210; et piscatores *πρὸς νηῷ Πανὸς ἔθεντο λίνα.* Zosim. Thas. cf. Ovid. opp. III. p. 88. Cnippingii L. B. 1670.

[6]) Schol. Soph. Aj. 707. Si in schol. Theocr. VII. 103. legimus Panem a venatoribus feriri, si praeter spem venatio evenerit, haec quaedam rudis rudium hominum vindicatio esse videtur. Sed alias quoque deorum statuas feriri legimus. Nonn. Dionys. XXXXVIII. 692. Aesop. fab. 21. cf. Schoemann. Gr. Alterth. II. p. 168. Quid vero scilla (*σκίλλα*) sibi velit, qua statuas verberare solebant, minus intellexi. In Thargeliis quidem celebrandis duo illi qui rupibus dejiciebantur homines scillis antea feriebantur. Schoemann. l. c. II. 403. Praeterea contra daemonum impetus, Plin. h. n. XX. 9. atque contaminationes, Casaub. ad Theophr. Char. 16 scillis uti soliti erant. cf. Schoem. l. c. II. p. 312. Sed cur in Panem feriendo scillis usi sint, non percepi, nisi forte contra dei ultionem hoc ipso usu sese defendere vellent. Similem vero rudem deorum cultum apud Germanos invenimus, qui nisi Thôr damna a pecude arceat, ferire eum minantur. cf. Panzer. Beitr. zur Deutsch. Myth. II. 299. sq. et Mannhardt. Germ. Myth. p. 103. cf. praeterea

Sed quum fertilitas terrae praecipue iis locis appareat, in quae cultura hominum nondum prorupit, quum in montibus abruptis silvisque obscuris quasi quaedam vis daemonis terram regentis et praesagium numinis potentis prae ceteris locis eluceat, etiam in montibus locisque desertis praecipue Panem invenimus, quibus gaudet et venatur, syringe canit, atque viatores saepe portentis miraculisque terret. [1])

4) Plurima veterum scriptorum testimonia eum montibus gaudere testantur, quae brevitatis causa omitto. [2]) Sed ex hoc ejus domicilio qualitates quaedam apparent lucidioresque fiunt, quae saepissime a scriptoribus commemorantur.

5) In harum autem proprietatum numero primum locum obtinet, quod saepissime viatores terreat iisque sono quodam inaudito, aut visionibus inusitatis maximum terrorem injiciat. [3]) De hac Panis proprietate Lobeckius: Etenim horror, inquit, quem vasti montes silvaeque impenetrabiles et solitudo ipsa errantibus offundere solent, in causa fuit, cur agrestia numina occursu suo obviam factos lymphare crederentur. [4]) Quare etiam pastores, quo tempore Pan dormit, syringe canere non audent, [5]) ne a deo subito ex somno evigilanti terreantur damnumque recipiant. Hic vero Theocriti locus optime tali modo ex-

---

Spanhem. ad Callim. h. in Delum v. 321. p. 590. Ern. Secundum schol. Theocr. V. 14. Pindarus Panem piscatorum deum nominat. Praeterea piscis quidam apud veteres Pan nominabatur, ut ex Hephaest. l. VII. ap. Phot. p. 494. apparet: *Πᾶνα δέ φησιν ἰχθὺν εἶναι θαλάσσιον κητώδη, ὅμοιον τῷ Πανὶ κατὰ τὴν ὄψιν.* cf. de honore, quo piscatores Panem colebant, Suid. s. v. *ἀλίπλαγκτος.* Deinceps vero Pan etiam inter deos marinos receptus atque *λιμενίτης* vocatus est. cf. Lobeck. ad. Soph. Aj. 694. p. 323. sq. ed. I. Lips. 1809. Nominatur autem deus marinus etiam Aegipan. Salmas. exerc. Plin. p. 293. Pertinet huc epigramma Anthol. Palat. VI. 182. et lectio quaedam Ovid. fast. II. 277. secundum quam pro numen equarum legitur. n. aquarum.

[1]) Schol. Aesch. Pers. 453. *ἐρήμοις γὰρ τόποις οὗτος ὁ θεὸς ἐνδιατρίβειν εἰώθει.* hym. Hom. in Pan. v. 6. hym. Orph. XI. 5. Quare *ὀρειάρχης* nominatur. (Meinek. Anecd. Alex. p. 210.)

[2]) Hym. Hom. XVIII. 6. Paus. VIII. 42. 3; 36. 8; 38. 11. Steph. Byz. p. 43. schol. Aesch. Pers. 453. Dionys. Halic. T. II. p. 59. Anthol. Plan. IV. 233. Tauch. Horat. Carm. IV. 12. 11. Rutil. Itin. I. 232. Eurip. Bach. 951. Lucian. dial. deor. XXII. 3. Verg. Eclog. II. 31. Georg. II. 493. Lucret. IV. 581.

[3]) Quare subiti terrores *πανικοὶ* vocari soliti sunt. Paus. X. 23. 5. *τὰ γὰρ ἀπὸ αἰτίας οὐδεμιᾶς δείματα ἐκ Πανός φασι γένεσθαι.* cf. Suid. s. v. *Πανικῷ δείματι.* Hyginus Astr. 28. p. 480. Stav. timorem Panicum vocatum esse ex eo censet, quod quum Jupiter Titanos oppugnaret, Pan primus hostibus timorem objecerit. cf. schol. Eurip. Med. 1172. Euseb. Praep. evang III. 14. Plato legg. VII. 815. A. et ad Horat. carm. 1. 37. 14. not. Mitscherlichii de vocabulo lymphatus. T. I. p. 338. cf. Zoëga. Basrel. II. p. 146.

Praecipue autem noctu Panem vagari et terrores incutere veteres putabant. cf. Stat. Theb. III. 480; ubi ea de causa nocturnus Pan nominatur; et Plin. n. h. XXV. 4. ubi herbam Paeoniam et Faunorum in quiete ludibriis mederi legimus. Magnopere autem Pan hac qualitate convenit cum nostrae fabulae daemonibus, ut cum venatore feroce quem dicunt, atque daemone montium, quem Ruebezahl vocare solemus. cf. Menzel. Deutsche Dichtung. T. 1. p. 120.

[4]) Lobeck. Aglaoph. p. 640. cf. Böttiger. Ideen z. Kunstm. T. II. p. 84.

[5]) Theocrit. Id. 1. 16. Ovid. fast. IV. 761. Palem rogat, ut numina placet, ne Faunum videat, »medio cum premit arva die«, quoniam uti ex contextu apparet morbos gregibus et pastoribus timet, si deum quiescentem ex quiete conturbat. cf. Nonn. Dionys. XXXXVIII. 258. Lucan. Phars. III. 423. Quare euphonice dictum esse videtur, si Pan *ἀγαθὸς δαίμων* Eus. Praep. evang. V. 5. p. 189. vel *ἀγαθὸς θεός* Paus. VIII. 36. 3. nominatur. Gerhard. Gr. Myth. 1. 120. *ἀγαθὸν δαίμονα,* cui in epulis vinum effundere mos erat, Panem fuisse putat.

plicandus videtur: In ipso meridie silentium quasi quoddam mysticum ut ita dicam per totam rerum naturam effunditur et ipsum numen naturae quiescere videtur, quod si ex somno excitetur gravi poena ulciscitur.

Postero deinceps tempore omnem omnino terrorem, rabiem, visiones insolitas et quae sunt generis ejusdem Graeci Pani deo adscribere atque imputare consueverunt. [1])

Cum hac fabula intime cohaerere puto, si Panem amorem injicere fabulantur. Erat enim pater Iyngis (*ἴυγξ*) quae postea in avem commutata saepissime in decantationibus atque amoris remediis ab antiqui temporis scriptoribus commemoratur. [2]) Atque Helenam illam tantum sui amorem suamque venustatem annulo quodam, in quo Panis efffgies inscripta erat, excitasse fabulantur. [3])

6) Sed non minus alia quaedam Panis proprietas, quam saepe scriptores laudibus efferunt, ex illa consequi videtur, qua homines locis absconditis terrere soleat. Praedicant enim Panem saepe in proeliis hostes subito terrore prostravisse, magnumque momentum ad victoriam reportandam contulisse. [4]) Omitto autem, quae jam supra commemoravi, quum Pan Jovem in pugna contra Typhonem adjuverit atque ad alia explicanda me converto.

Nominatur miles Dionysi [5]), cum quo in expeditione, quam in Indiam fecit, conjunctus erat, ita ut etiam *τάξαρχος* Dionysi vocaretur. [6]) Sed etiam postea cum Atheniensibus in proelio apud Marathonem commisso

---

[1]) Eurip. Rhes. 36. Medea. 1133. Hippol. 142. Aristoph. Eccl. 1089. Hermias in Phaed. p. 105. *εἴσι καὶ Πανόπληκτοι*, Poll. Onom. 1. 18. *θεόληπτος ἐκ Πανὸς κάτοχος*. Aristoph. Lysist. 997.

Apud Latinos autem, sicut rabiem atque tumultus facit, ea etiam sedare iterum, in fabulis fuisse videtur. Nam Sil. Ital. XIII. 343. haec de eo, quem Jupiter Capuam miserat, canit: »Hic (Pan) postquam mandata dei perfecta, »malamque sedavit rabiem, et permulsit corda furentum, Arcadiae saltus »revisit.« cet.

Qualitas vero Panis terrorem rabiemque objiciendi secundum Macrobii Sat. 1. 17. 11. sententiam cum solis effectibus cohaeret.

[2]) Theocrit. Idyl. II. schol. Pind. Nem. IV. 56. Potter. ad Lycophr. V. 309. Heyne ad Pind. p. 289. Tzetzes ad Lycophr. 310. *ἴυγξ θυγατὴρ Πειθοῦς ἢ Ἠχοῦς καὶ Πανός*. cf. Gerh. Hyp. Röm. Stud. II. 136.

[3]) Si Helena, quod inter mythologos constat Selene sive Luna est, (*ἕλη, σέλας*) fabula illa etiam ad solarem Panis naturam spectat unde Selene lucem suam recipit. Preller Gr. Myth. II. 73.

cf. de annulo Helenae, Ptol. Heph. apud Photium Cod. 190. Pan etiam in amore occulto invocatur, Callim. epigr. 45. et praecipue apud mulieres usus valebat Panem saepius verbis *ὦ Πᾶν* sive *ὦ Πᾶνες* Aristoph. Eccles. 1114. invocandi. Quare Aristophanes Lysist. 2. mulieres vituperat, quod

εἴ τις εἰς Βακχεῶν αὐτὰς ἐκάλεσεν
ἢ 'ς Πανὸς, ἢ 'πὶ Κωλιάδ', ἢ 'ς Γενετυλλίδος,
οὐδ' ἂν διελθεῖν ἦν ἂν ὑπὸ τῶν τυμπάνων,

si autem ad res severas convocarentur, nulla omnino adsit. Minime mirum igitur est, si Panem saepe cum Venere conjunctum invenimus. cf. Gerhard. Hyp. Röm. Stud. II. p. 255. n. 91. cf. l. c. p. 100. n. 44.

[4]) Nominatur ea de causa *λυτήριος*. Paus. II. 32. 6. atque *τροπαιοφόρος*. Anthol. Plan. 259. Jac.

[5]) Diod. Sic. 1. 18. praeterea nominatur *θιασώτης* Dionysi, qui choros Bachantum ducit, Lucian. dial. deor. 22. 3. Anthol. Plan. IV. 156. Tauch. vel Dionysi *ἑταῖρος*.

[6]) Nonnus. Dionys. XXXII. 277. Polyaen. 1. 2. cf. ad hunc locum epigramma Rhiani in Anthol. Pal. VI. 34. Jacobs.

conjunctus pugnavit; [1]) de qua pugna praeclarum illud Simonidis epigramma: [2])

> *τὸν τραγόπουν ἐμὲ Πᾶνα, τὸν Ἀρκάδα τὸν κατὰ Μήδων,*
> *τὸν μετ' Ἀθηναίων στήσατο Μιλτιάδης.*

Sed postero quoque tempore Pan auxilio Antigonum Macedonum regem in proelio contra Gallos gesto prosecutus est; [3]) quo factum esse dicitur, ut reges Macedonum deinceps in galeis cornua gererent. Apud Latinos autem hanc qualitatem Valer. Flaccus II. 51. laudibus effert: [4])

> Vox omnes super una tubas, qua conus et enses,
> Qua trepidis auriga rotis, nocturnaque muris
> Claustra cadunt: talesque metus non Martia cassis
> Eumenidumque comae, non tristis ab Aethere Gorgon
> Sparserit, aut tantis aciem raptaverit umbris. cet.

7) Venio jam ad quasdam Panis qualitates explicandas quae et per suam naturam graviores et, quia ad praestantiorem dei naturae partem pertinent, validiores esse videntur.

Nam quum per universum coelum, in quo Pan quasi ignis aeternus, impenetrabilis refulget, mirus quidam ordo conspiciendus sit, quum omnes omnino stellae praepositis sibi viis iter faciant, planetaque illae, quae in coelo perambulant, lumen a sole recipiant, quum denique, inquam, luna cum sole omnia terrena quasi intueatur atque regat, id quod Pythagoraei harmoniam coeli vocare consueverunt, certe non miramur, si in deum ipsum artes illas, quae numero praecipue nituntur, relatas inveniamus, musicam quidem et saltum, de quibus accuratius atque fusius verba facere in animo est.

Nam non solum vehementer cantu atque musica gaudet, [5]) sed etiam

---

[1]) Schol. Soph. Aj. v. 707. Lucian. dial. deor. XXII. 3. Anthol. Plan. IV. 233. Tauch. Apud Luc. l. c. Pan de se ipse praedicat.: *καὶ Ἀθηναίοις συμμαχήσας οὕτως ἠρίστευσα Μαραθῶνι, ὥστε καὶ ἀριστεῖον ἠρέθη μοι, τὸ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει σπήλαιον.* Etiam in pugna Salaminia Athenienses adjuvasse fertur, cf. Suid. s. v. *ἀλίπλαγκτος*; atque propter hanc ejus qualitatem oraculum Delphicum, ut ante pugnam Plataeensem Pani immolarent, Atheniensibus mandavit. Plut. Arist. XI. p. 505. Reisk.

[2]) Anthol. Plan. IV. 232. Tauch. cf. Serv. ad Verg. Aen. VIII. 343. Zonaras. lex. s. v. *ἀλιπλάγητος.*

[3]) Paus. X. 23. 5.

[4]) cf. de hoc Flacci loco not. Pet. Burmanni I. edid. Harles. Altenb. 1781. p. 336. sq.

[5]) Hipponax apud Tzetz. hist. var. VI. 874. Lucian. dial. deor. XXII. 3. Daphnidem syringe canere docuit; Verg. Ecl. 1. 32. IV. 58. Serv. ad Verg. Ecl. V. 20. Secundum epigramma quoddam Antipatris in Pindarum (Jacobs Anth. II. 19.) Pan hymnum Pindari cecinit:

> *μάρτυς ὁ Μαινάλιος κερόεις θεὸς ὕμνον ἀείσας*
> *τὸν σέο καὶ νομίων λησάμενος δονάκων.*

Pastores fistula canentes Panem delectant, Horat. carm. IV. 12. 11. Prop. III. 3. 30. Pan apud schol. Theocr. Id. VIII. in Arg. arbiter cantus Daphnidis et Menalcae nominatur. (*Πανὸς καὶ Νυμφῶν κρινάντων νικηθῆναι Μενάλκαν ᾄδοντα.*)

In quodam vase, quod Hamiltonis vocatur, (Schwenck. Myth. d. Griech. tab. X. 3.) Panem invenimus altera manu syringem altera campanam gestientem. Campanam vero in cultu Dionysi usitatam fuisse testatur Winkelmann. Sendschreib. über Hercul. Entdeckung. p. 61; praecipue autem eam in cultu Proserpinae invenimus. Apollod. in schol. Theocr. II. 36. et Apoll. fragm. p. 401. sq. Heyne. Significabat autem tympana ortum et occasum, ver atque autumnum, fortunamque quae agricolas his anni temporibus exspectabat. Praecipue autem Apoll. l. c. commemorat, reges Spartanorum sonitu campanae esse sepultos. Quare si Panem campanam gestientem in-

ipse syringem invenit, qua in Arcadiae montibus canit, Nympharumque choros ducit. [1]) Pertinet autem huc fabula illa, in qua Pan cum Amore certavit victusque Syringem Nympham amavit, quae auxilio Terrae in calamum conversa est. [2])

Si ad etymon vocabuli *σύριγξ* regrediamur, quod cum *σύρω*, traho, duco, rapio, cohaeret, ita ut *σύριγξ* nomen Nymphae cujusdam sit, quae flumini celeriter fluenti praestat, sensus hujus fabulae cum doctrina consentit, ex intima ignis atque aquae conjunctione omnes res terrenas esse ortas. [3])

Sed si syringem ex septem calamis factam reputamus, quasi sua sponte in aetherem respiciamus necesse est; [4]) in quo septem planetas invenimus, quae omnes sub potestate solis aetherei, qui lumen vitamque effundit, constitutae sunt ejusque quasi spiritu moventur.

In harmonia coeli Pan quasi syringe septem planetarum canit, et sicuti Dionysus in septem partes dilaceratus, quocunque sepultus est vitam atque germina evocavit, [5]) ita etiam Pan lucem in planetas effundit. [6])

---

venimus, aut ad ejus proprietatem, qua vitam in rerum natura eliciat, respiciendum est, aut sicut Hermes *πομπαῖος* ad interitum res vocare easque interimere videtur. Fortasse etiam si ad usum Graecorum in castris campanae sonitu noctu custodias, ne somno sese tradant, arcendi respicimus, sensus valet, Panem quasi pastores adire atque cohortari, ne securi somno atque inertiae sese tradant, gregesque suos latronibus bestiisque diripiendos dilacerandosque committant. Alia vero Panis attributa tympanum, syringem, flagellum in statuis ejus reperit Gerhard. Hyp. Roem. Stud. II. p. 106. 67. Tribuitur praeterea Pani *πανδοῦρα*. Isid. Orig. III. 20. quod instrumentum quale sit, veteres ipsi disceptant. Athen. IV. 183. Poll. IV. 60. Hesych. s. v.

[1]) Paus. VIII. 38. 11., 36. 8. Anth. Plan. IV. 231. Tauch. Eurip. Elect. 187. Bion. Id. V. 7. Herm. Hyg. fab. 274. p. 389. Myth. Lat. Ovid. Metam. II. 153. Sil. Ital. XIII. 346:

Pan amata revisit
Maenala, ubi argutis longe de vertice sacro
Dulce sonat calamis, ducit stabula omnia circum.

Serv. Verg. Ecl. VIII. 24. et Ecl. II. 32.

Quare etiam Moschus Id. III. 58. Herm. Pani syringem Bionis mortui donare vult, quoniam nemo nisi inventor ipse digne ea uti possit.

Apud Aristoph. Ran. 232. chorus ranarum a Pane sese amari gloriatur, quem *τὸν καλαμόφθογγα παίζοντα* vocant.

Si apud Athen. IV. cap. ult. p. 184. ab Hermete *σύριγξ μονοκάλαμος*, a Sileno *πολυκάλαμος* a Marsya *κηρόδετος* inventa esse dicitur; haec fabula ad Panem pertinere videtur, qui cum tribus illis numinibus tum arcte conjunctus est, ut cum iis saepissime commutetur. De choris Nympharum cum Pane cf. quae Lobeck. ad Soph. Aj. 697. p. 324. sq. affert; atque de statuis, quae Panem cum Nymphis saltantem fingunt, Gerhard. Hyp. Roem. Stud. II. p. 156. not. 94. 95. Secundum schol. Vatic. ad Eur. Rhesum (36) Pan cum Nymphis tibia canit. (*ἐν τοῖς ὄρεσι . . . ἔνθα ὁ Πὰν ἅμα ταῖς Νύμφαις συρίζει.*)

[2]) Ovid. Metam. 1. 689. Albric. phil. de Pane IX. Mythol. Lat. p. 914. Cum Amore certans pingebatur. cf. effigies in sarcophago apud Welcker. Zeitsch. 1. 175. Lactant. nar. fab. 1. 12. p. 754. Myth. Lat. Staver.

[3]) cf. ad hanc doctrinam veterum Welcker. Tril. p. 9. 10. ubi de variis mythis hujusmodi disserit.

[4]) Moser. ad Non. Dionys. p. 246. Hyg. fab. p. 389. Movers Phoen. I. p. 160. De lyra a Mercurio inventa quae septem chordas continet, (hym. Hom. in Merc. v. 51. Eratosth. Catast. XXIV. schol. Arat. 296.) Macrob. Sat. 1. 19. 15. haec fere commemorat quae cum iis, quae supra commemoravi, consentiunt: »Lyra septem chordarum tot coelestium sphaerarum motus praestat intelligi, quibus solem moderatorem natura constituit.«

[5]) Plut. de Ei ap. Delph. p. 389. A. Wyttenb. Fragm. Orph. p. 580. Herm. Procl. in Tim. p. 200.

[6]) De numine siderum cf. Ovid. Metam. 1. 73. Fast. III. 111. Exstant hodie

Fortasse etiam in hac Syringis fabula quaedam cognitio atque explicatio numeri atque intervallorum musicae inest, quum idem tonus septem interpositis revertatur. Haec sententia autem comprobari potest fabula quadam, quam apud veteres legimus. Panem enim patrem Croti cujusdam fuisse narrant, qui quum Musas in terra canendo delectasset, cantibusque numerum supposuisset, post mortem inter sidera receptus est. [1])

Huic vero fabulae sensus sane pulcherrimus respondet, omnem numerum ex numero coeli atque harmonia in musicam terrenam desumptum atque hanc musicam nihil aliud esse, nisi effigiem quandam musicae coeli. Sicut in coelo numerus in motu stellarum oculos, ita etiam in terra musica aures audientium numero atque intervallo delectat, omnisque numerus sicuti ex coelo oritur, sic etiam ad aeternum ejus ordinem iterum referendus est.

Cum hac quam proposui fabula, alia intime cohaerere videtur, quam de Echo veteres scriptores atque poetae enarrant. [2]) Amasse enim dicitur Pan Echo saepeque in silvis montibusque tibia cecinisse et tantopere sono repercusso gavisum esse, ut Nympham in matrimonium duceret. Sicut numerus in cantu quasi quaedam effigies harmoniae coeli, sic etiam echo effigies cantus in hunc redundat.

8) Inest autem in musica non solum oblectamentum auribus, sed mira quaedam vis dolores leniendi, quare etiam Asclepius Panis filius vocatur. [3]) Genuit autem eum ex Hephaestobule [4]) quam Minervam quidam esse volunt; [5]) certe est dea quaedam, vim solarem in sese continens. Ordo enim ille, qui per totam rerum naturam divulgatus est, si casu aliquo disturbatur, per deum, qui ei praeest, restituatur necesse est, et iis quidem legibus, quibus universa rerum natura ordinatur et regitur. [6])

Sed quum omnia, quae exstant in rerum natura recte tantum cognoscantur, si quasi simulacra atque effigies ordinis divini atque harmoniae coeli percipiantur, quum omnis venustas atque pulchritudo eo tantum valeat, quod speciem luminis coelestis atque pulchritudinis so-

---

nummi antiqui, in quibus Panem in mediis planetis fictum invenimus. cf. Gerh. Hyp. Roem. Stud. II. p. 95. n. 24.

[1]) Erastosth. Catast. 28. Hygin fab. 224. Poët. Astron. II. 27. »Croton, Panis et Euphemes filius conlacteus Musarum in stellam sagittariam mutatus est.«

[2]) Lucian. dial. deor. XXII. 4. hym. Orph. XI. 9. Macrob. Sat. 1. 22. 7. Anthol. Plan. IV. 152, 154, 225, 233. Mosch. Id. VI. 1.
Secundum Ptolemaeum apud Phot. p. 490. amor, quo Echo persequebatur, ab Aphrodite propter judicium, quod de pulchritudine exhibuit, Pani injectus est. Nituntur dialogi illi jocosi inter Panem et Echo, ut Anthol. Plan. IV. 152. quo Pan amorem flagitat, fabula illa, quam supra commemoravi. cf. Zonar. lex. s. v. *ἀλιπλάγητος*.

[3]) Stob. Serm. 1. p. 930. Secund. Apollod. III. 10. 3. Apollinis filius apellatur. cf. Macrob. Sat. 1. 22. 7.

[4]) Stob. Serm. l. c. et p. 1092. *ὁ Ἀσκληπιὸς Πανὸς καὶ Ἡφαιστοβούλης*.

[5]) Creuzer. Symb. II. 738. Athene saepe cum Hephaesto conjungitur, quod praecipue tabula, quam Maffei edidit (Mus. Veron. p. 468.) confirmatur. cf. Welcker. Episch. Cycl. p. 35 sq. atque Spanh. ad Call. p. 721. Ern. *Ἡφαίστῳ πότε Πάλλας ἐπ᾽ ἀγκονίῃσι μιγεῖσα Εἰς εὐνὴν ἐμίγη, Πήλεως ἐν θαλάμοις*.

[6]) De mytho Asclepii cf. Apoll. III. 10. 3. Paus. II. 26. 4. Macrob. Sat. 1. 20. Cicero de nat. deor. III. 22. p. 614. Creuz. Movers Phoen. 1. p. 529. et 533.

laris prae se ferat, Peitho Nympha cum Pane conjux unitur; [1]) Pindarusque eum τῶν χαρίτων γλυκὺ μέλημα vocat. [2])

9) Cum cantu autem atque musica inde ab antiquissimis temporibus saltationem conjunctam invenimus; quare minime mirandum videtur, si Panem etiam saltatorem fuisse legimus. Plurimis enim locis eum φιλόχορον, χορευτήν, χοροποιόν, ὀρχήστην, βαβάκτην, Βακχευτήν esse reperimus. [3])

Sicuti vero in cantu, sic in saltatione quoque numerus perspiciendus est, atque quae supra de musica explicavi, hoc quoque loco recipienda puto. Praecipue vero cum Nymphis, quae humorem repraesentant, [4]) eum choros instituere, in fabulis invenimus. Ex conjunctione connexuque luminis coelestis cum humore terrestri omnia in rerum natura oriuntur, et effigiem illius ordinis, qui in coelo est, specie sua praebent. Idem vero etsi non eodem modo sensus perficitur, si Pan, cum quibus modo choros instituit, [5]) eas Nymphas deinceps persequitur, iisque vim ingerere studet. [6])

---

[1]) Peitho schol. Eurip. Phoen. 1151. uxor Argi nominatur, patris Argivorum, nisi forte vocabulo ἀργός i. e. lucidus, quandam dei proprietatem expressam esse putamus. Sed Peitho etiam illa Nympha nominatur, quae Aphroditam secuta, matrimoniis praeesse dicitur. Cornut. de nat. deor. XXIV. p. 197. Anth. Graeca T. 1. p. 25. p. 70. 86. Tom. II. p. 25. Poll. Onom. IV. 142. Pind. Pyth. IV. 380 sq. Tum vero in hac fabula explicanda ad illam Panis proprietatem recurrendum videtur, quam supra exposui, Panem amorem injicere, in fabulis esse. cf. Jahn Peitho p. 15. Gryps. 1846.

[2]) Pertinet huc quoque, quam supra de Croto exposui, fabula. Apud Aristoph. Ran. 230. intime cum Musis et Apolline Pan conjungitur, et quantopere in musica apud veteres valuerit, ex his jam perspicuum est. Locum, quem supra commemoravi, invenies apud Pind. Pyth. III. 139. Quae quum ita sint, etiam perspicuum esse videtur, quare testudo Pani sacrata sit, Paus. VIII. 54. 3; quum in tergo quasi effigiem ordinis coelestis gerat, simulque lyra ex ea fabricata sit.

[3]) Aesch. Pers. 453. Soph. Aj. 669. 690. Aristoph. Ran. 229. Pind. fragm. 62. hym. Orph. XI. 5. Athen. XV. p. 694. Lucian. dial. deor. XXII. 3. Zonar. in lex. s. v. ἀλιπλάγητος nomen ἀλιπλάγητος (legend. ἀλίπλαγκτος) Pani inditum esse dicit, quod μεγαλόφρων ἐν τῇ χορείᾳ ὡς ἀλίβρομος sit.

[4]) Joan. Diacon. Allegor. in Hesiod. p. 305. 2. de Nymphis brevissime ita se exprimit Νύμφαι ὕδωρ. cf. Buttmann. Mythol. I. p. 203. Welcker. Gr. Gttrl. p. 656.

[5]) In omnibus fere quos legimus hymnis in Panem, eum cum Nymphis conjunctum invenimus. cf. hym. Hom. 18. 15. hym. Orph. LI. 8. cf. Mitscherlich. ad Hor. carm. I. 1. 30. pag. 18. sq. Auson. Mosel. v. 170. Paus. X. 32. 5. epigramma quoddam profert, quod in antro Corycio ad Parnassum sito legit:

Ευστρατος Δακιδομου Αμβρυσιος
Συμπεριπολοις Πανι Νυμφαις.

cf. Siebelis ad Paus. l. c.

Postero tempore autem Panem plerumque cum Nymphis et Satyris in vasis atque imaginibus fictum invenimus, atque luci prope templa praecipue statuis horum numinum agrariorum ornati erant. Neque veteres ullam regionem fingebant, in quam non his numinibus quasi vitam inspirassent. Gerh. Hyp. Roem. Stud. II. p. 156. n. 94. sq.

[6]) Nominatur Pan ἐρωτικός sive φιλοπάρθενος. Achill. Tat. VIII. Longin. lib. II. Lucian. dial. deor. XXII. 4. et Hemsterh. ad. h. l. T. 1. p. 270. praeterea etiam λάγνος, Cornut. d. n. deor. XXVII. p. 148. Osann. et ὀχευτής. Corn. l. c. O. Müller. Archaeol. §. 387. 4. Ex intima conjunctione cum Nymphis factum est, ut Panem libidinosum deum fingerent. Quare σκοπιήτης ap. Rhianum in Anth. Palat. VI. 34. Jacobs. nominatur, qui sub manu libidinose in Nymphas oculos conjiceret. cf. Welcker Nachtr. z. Trilog. p. 142. Haec vero qualitas ejus in totum Panum Satyrorumque genus translata est, quod in frag. Hesiod. γένος οὐτιδανῶν Σατύρων καὶ ἀμηχανοεργῶν appellatur. Atque

Quum autem musica et saltatio una cum palaestra plurimum ad mores emolliendos conferant, Pani etiam sicut Hermeti palaestra tribuitur. [1])

10) Venio jam ad ultimam Panis qualitatem explicandam. Vatem enim eum fuisse oraculaque dedisse legimus. [2]) Haec autem qualitas et cum musica arctissime cohaeret, quoniam poëtae et cantores vates nominari soliti sint, et cum Panis natura conjungi potest, quoniam numen solare omnia perspiciat et videat.

Sed hic fortasse etiam sensus valet; si in rerum natura omnia certa quadam lege eveniant, si ordo in rebus coelestibus et terrestribus distinctus quidam exstet, deus, qui hunc ordinem in se repraesentat, omnia, quae eventura sint, perspiciat necesse est.

Denique ut paucis dicam, in Pane omnes omnino artes liberales, quas vocant, invenimus, atque complures aliorum deorum, ut Hermetis, Apollinis, Athenae proprietates in se cumulasse atque expressisse videtur. Legimus enim praeter musicam saltationemque, quae supra commemoravi, miram quandam fuisse in eo dicendi facultatem, [3]) eumque etiam artem texendi invenisse. [4])

Haec de Panis natura atque qualitatibus quae proferrem habui, et jam ad eum cum aliis diis comparandum aggrederer, nisi pauca ante dicenda essent de morte Panis, quam breviter explanare placet.

§. 10.

De morte Panis. [5])

Legimus apud Plutarchum, [6]) Thamo cuidam gubernatori, quum a Graecia in Italiam navi veheretur, prope insulas Paxas subito nuntiatum esse, ut, si prope Palades esset, vocaret: Magnus Pan mortuus

---

etiam in sermone quotidiano sententiam invenimus γυναῖκας πανεύειν. Heracl. incred. 25. (cf. Theocr. Bion. et Moschi carm. c. comm. Valcken. Brunck. Toup. (Berl. 1810.) T. II. p. 498.) herbamque quandam, quae gustu libidines excitet, σατύριον sive πάναξ vocatam esse legimus. Plut. de sanit. tuend. 381. Hutt.

[1]) Paus. VIII. 38. 5.

[2]) Paus. VIII. 37. 8. II. 32. 5; 10. 2. Apollodoro I. 4. 3. autore, Apollo, deus vatum maxime insignis, artem a Pane percipisse fertur, sed locus ipse in suspicionem venit; (cf. Heyne obs. ad h. l. p. 18. atque Klausen. Aeneas u. d. Penat. 1. p. 185. et p. 187. c. n. Höck. Creta. 1. p. 134.) nisi eum ad fabulas Troicas pertinere censemus. cf. Rück. Troj. p. 88. 91. Oracula Panis reperiuntur in Arcadia Paus. II. 32. 6. schol. Theocr. I. 121.

[3]) Plato Phaedr. p. 307. Heind.

[4]) Eustath. ad Hom. Odys. II. 91. p. 82. Bas. ὃν (Πᾶνα) καὶ κατάρξαι τῆς ὑφαντικῆς φασί τινες. schol. Iliad. 23. 762. Fortasse etiam hoc mytho explicari potest, cur filium Penelopae quidam Panem fuisse dixerint, quum Penelopae nomen ab eodem etymo πῆνος, πᾶνος repeterent. cf. Meineke Anal. Alex. p. 159.

[5]) Quum duo de morte Panis apud Plutarchum commemorata libri exstent, alterum, quem conscripsit Chr. Wagner in Miscel. Lips. T. IV. p. 143. tantum in manibus tractavi, quum, quem conscripsit J. Nymann: de Magno Pane Plutarchi. Upsal. 1734. ejus copia non esset. Wagner vero in libro in fidem et narrantium et Plutarchi magnopere invehitur; simulque ex Tiberii moribus demonstrare studet, eum nihil tales narratiunculas curasse. Sin autem verum est quod l. c. §. 14. commemorat, Tiberium eo ipso tempore ne Romae quidem fuisse, certe hoc argumentum maxime momenti in quaestione illa de fabulae fide solvenda esset.

[6]) Plutarch. de oracul. def. p. 419. B. sq. p. 715. Wyttenb. cf. van Dale: de oraculis veterum ethnicor. Amstel. 1701. p. 432—443.

est. Qui quum mandatum exsecutus esset, subito ululatum clamoremque in litore ortum esse, ut omnes, qui una iter facerent, vehementissimo timore afficerentur.

Quae quum praeter Plutarchum nemo aliorum scriptorum narret, quod quidem, quum nuntius hujus facti Romam ad Tiberium Caesarem perlatus esset, memoratu dignum videtur, statim primo obtutu rem ad nautarum fabulas pertinere in suspicionem venit, qui miranda ubicunque terrarum portenta plebi superstitiosae facilique enarrarent. Sed ut vera illa fabula sit, ad eam cognoscendam pauca afferre placet.

Quaeritur autem, quis sit Magnus Pan? Plutarchus l. c. hunc Panem secundum sententiam virorum doctorum filium Penelopae fuisse declarat; sed hoc nihil valet, nisi sententiam usurpemus, sicut Heracles mortuus sit, ut deinceps semper viveret, ita etiam Panem, Penelopae filium, quasi quendam semideum sive heroa fuisse, qui post mortem ad majorem dignitatem beatioremque vitam pervenerit.

Legimus autem etiam alios deos mortuos esse, ut Apollinem, Dionysum, in Aegypto vero Osiridem, in Asia Attidem, Creta in insula Jovem; [1]) quae quidem numina, quum vires naturales repraesentent, sicut rerum natura ipsa modo vivunt modo emoriuntur.

Sed si locum Plutarchi ipsum accuratius perscrutemur, duo praecipue momenta respicienda atque tractanda sunt, quae fortasse locum obscurum difficilemque magis illustrare possint.

Legimus enim illum Thamum Aegyptium fuisse; apud Aegyptios autem cultum stellarum multum valuisse jam alio loco explicavi. Quare fortasse de cursu stellae Panis, de Sirio sive Capella, praecipue si ad verbum τελεῖν, quod etiam viam explere significat, animum advertimus, hic locus interpretandus est. Tum etiam ululatus illi atque clamores in ora maritima diversi, quos Plutarchus auditos esse commemorat, quamquam ex more poëtarum locus ipse compositus vitaque rebus naturalibus quasi indita est, sensum optimum praebent, quum res naturales, quae secundum veterum sententias daemonum habitacula sunt, de interitu sive occasu stellae lamentantur, qua lucente vitam egerunt. Quae quidem explicatio quandam lucem huic loco tam obscuro afferre videtur.

Sed etiam alio modo sensus haud omnino rejiciendus efficitur, quem quodammodo cum illo consentire puto, si ad aliud loci illius momentum respicimus. Legimus enim hanc vocem vesperascente jam coelo, quum mare quietum esset, auditam esse. Quum vero dies absumpta sit, sol cursum suum finivit (τελεῖν) seque in Oceanum ruit. Tum, si poetice ut ajunt, rerum naturae vitam tribuere volumus, in interitu sive occasu solis res terrenae, quae luce gaudent, appropinquante nocte, quasi quadam tristitia afficiuntur, lamentationibusque solem occidentem prosequuntur.

Fortasse etiam doctrina Graecorum de daemonibus locus Plutarchi magis perspicuus fit.

Omnia autem, quorum causas non bene perspicerent, et in rerum natura et in hominum animis per daemonum vires perfici veteres credebant, qui quum inter deos hominesque medium locum obtinerent,

---

[1]) Callim. hym. in Jov. 18. Suid. III. 109. Lucian. Jup. Trag. Tom. VI. p. 279. Bip. Lucian. de sacrif. 10. Cicero de nat. Deor. III. 21. »Jovem tertium Cretensem nominat, Saturni filium, cujus in illa insula sepulcrum ostenditur.«
Pythagoram de morte Apollinis epigramma composuisse ferunt. Porph. vit. Pyth. p. 18. Cyrill. adv. Iulian. p. 312. Spanh. August. de civ. Dei. VIII. 5. 23.

rebus terrenis praepositi erant. Hesiod. Op. et dies. 122. Plato. Cratyl. p. 50. Heind. Daemones igitur naturam elementorum viriumque naturalium repraesentasse puto, ut ignis, aquae, telluris, et quae sunt generis ejusdem. Quare etiam Plutarchus de Is. p. 359. ad hos daemones illa, quae dolore tristitiaque afficiantur numina numeranda putat, ut Dionysum et Cererem aliaque plura. Fuerunt autem multi, qui etiam Panem in hunc daemonum numerum redigerent eumque silvis et gregibus praeesse constituerent. Quare vires illas incomprehensibiles obscurasque, quae modo vitam eliciunt, modo omnia terrore atque tempestatibus miscent, quae in abditis terrae locis quasi fabricant modoque germina trahunt, modo sonitu atque clamore omnia implent, ad Panem daemonem referendas esse censent.

Hac quidem doctrina, quam praecipue Plato [1]) coluit, philosophi, qui Caesarum temporibus floruerunt praecipue Neoplatonici nisi, doctrinam de daemonibus perfectam instituerunt. [2]) Qui quidem quamvis inter se discreparent, tamen sententiam proposuerunt, complures daemones esse mortales, quod quidem de Nymphis jam Hesiodus teste Plutarcho [3]) contendit. Sin autem in horum daemonum numero Panem numeremus, mors ejus simulque tristitia illa atque ululatus earum rerum, quibus daemon praefuerat, bene intelligi potest. Clarescit autem et illud, quod Thamus nauta vocem se audisse contendit, quum sonitus vocesque ut ita dicam naturales, quae saepius in promontoriis, silvis saltibusque oriri soleant, quorumque causae intelligi perspicique nequeant, a nauta illo secundum sui temporis superstitionem ad mortem daemonis cujusdam, quem Panem vocavit, referrentur. Cetera autem ut in superstitioso homine per angorem metumque, aut ut in nauta per errorem atque mendacium addita esse videntur.

Legimus praeterea apud Plutarchum, [4]) Osiridem in Aegypto a Typhone interfectum esse necemque ejus a Paniscis Isidi nuntiatam. Accedit autem quidam ἱερὸς λόγος mysteriorum Samothracensium, ut vocant, secundum quem Dionysum a duobus Corybantibus occisum ejusque testes in cistam quandam inclusos in Tyrrheniam translatos esse narrant. [5]) Magnam vero deinceps de hac Dionysi nece tristitiam vehementemque querelam esse ortam, omnes fabulae consentiunt.

Sensus vero illarum fabularum certe cum mytho, quem de Attide atque Adonide legimus, [6]) consentit, atque eam tristitiam significat, qua rerum natura brumali tempore afficitur.

---

[1]) Plato. Tim. p. 40. Tom. IX. p. 324. Bip. Cratyl. p. 51. Heind. De legg. p. 349. Bekk. Epinomis. VIII. p. 510. Ast. Sympos. p. 106. E. Stallb. cum notis. Polit. p. 271. 539. C. Stallb.

[2]) Plotin. Ennead. III. 5. 6. Jamblich. de myst. Aeg. 1. 17. Porphyr. de abst. II. 37.

[3]) Plut. de orac. def. XI.

[4]) Plut. de Is. et Os. p. 356. D. p. 461. Wyttenb.

[5]) Clemens. Protrep. p. 15. Potter. Arnob. adv. gent. I. 41.

[6]) Movers. Phoen. I. p. 201. sq. Böttiger. Id. z. Kunstmyth. I. 281. Quare fabulam de morte Panis omnino a mytho de nece Osiridis non abhorrere, sed quasi formam Graecam mythi Aegyptii esse, contendere vix dubitem. Mythus vero, qui ad Osiridem pertinet, naturam indolemque, ut ita dicam astronomicam physicamque continet. Osiris enim secundum mythum Aegyptiorum primus deorum natus est, qui quinque diebus praeerant, quorum numero annus solaris lunarem annum superet; atque quum natus esset, vox audita est: »Totius mundi dominus natus est.« Ejus nex autem in autumni tempora incidit, quibus dies lumenque diurnum decrescere solent, rerumque natura quasi perire videtur. (Gfroerer. Urg. d. mensch. Geschl. II. p. 177. s.) Quare Aegyptii, sicuti Osiride nato vocem auditam esse fabulabantur, »domi-

Si autem cum his fabulam de morte Panis comparamus, miram quandam similitudinem confiteri cogimur. Mors enim Panis sicut mors Osiridis nuntiatur, tristitia moestitiaque ex amborum interitu oritur quam maxima, quid igitur est, quod, quominus idem significetur impedire posse videatur? Inest igitur sine ulla dubitatione in hac fabula quasi quaedam analogia ut ita dicam cum iis, quas de Osiride, de Dionyso, Attide et de Adonide legimus, quae tamen omnes vitam rerum naturae decrescentem morientemque significant. Quod vero ad formam adtinet, haec postero tempore fortasse addita atque magis magisque aucta atque ornata est.

Quae quum ita se habeant atque locus ille Plutarchi, etsi formam ejus fabulosam esse declaramus, omnino a veritate non abhorreat, tamen si ad tempus respicimus, fortasse alia quaedam opinio amplexanda videtur. Nam eo ipso tempore, quo, quod Plutarchus narrat, Thamo Aegyptio contigit, in Aegypto doctrina valebat, quae ab Euemero primum proposita in libro, qui *ἱερὰ ἀναγραφή* inscribitur, [1]) postero deinceps tempore apud philosophos magni momenti fuit. Philo enim, qui fere aequalis fuit Tiberio, in libris saepe Sanchuniathonem commemorat atque fragmenta ex ejus libris sacris collegit. [2]) Sed hic Philonis liber, uti inter omnes nostri temporis viros doctos constat, veritate minime nititur, sed quae ipse Philo de mythis fabulisque opinatur, continet. Nam in Graecos praecipue invehitur, (p. 40. ed. Orelli) quod omnes eorum fabulae deorum ab Hesiodo atque aliis poetis ex historia rerum Punicarum desumptae sint et theogonia Graeca nihil aliud nisi historia virorum Phoenicum esse videatur.

Sicut Philo autem complures ejus temporis mythologiam lege moreque Euemeri interpretati sunt; [3]) ideoque jam concludi licet, philosophos illos praecipue vero Alexandrinos omnem operam in id contulisse, ut fabulas mythosque ex rerum historia interpretarentur deosque homines fuisse demonstrarent.

Plutarchus vero loco illo, quo de morte Panis agitur, ab Epitherse quodam haec narrata esse commemorat, qui Epitherses a Stephano Byz. s. v. *Νικαῖα* commemoratur lexiconque tragicorum et comicorum Atticorum conscripsisse fertur. Quid igitur, si ad illius temporis studia respicimus impedit, quominus putemus, fabulam ipsam a Plutarcho narratam ab Epitherse esse fictam atque compositam, ita quidem, ut ea ipsa suam vel philosophorum sententiam fulciat, deos omnes esse homines atque mortales? Minime mirum esse videtur ad hunc finem assequendum fabulam esse compositam, cum ex eo ipso tempore libros ad quandam opinionem comprobandam compositos esse constet. [4])

Tum autem locum Plutarchi corruere, fabulasque deorum omnino nullas esse, deosque ipsos omnino evanescere, quum adeo Pan Magnus mortuus sit, apparet.

---

nus totius mundi natus est,» tempore autumnali, Osiridem mortuum esse dicere poterant; Thamusque ille gubernator a mythis patriis non abhorret, si, quae ad res navales itineraque maritima maximi momenti sunt tempora, more fabularum ex nece Osiridis sive Panis declarat. Cetera quidem, quae ad formam narrationis Plutarchi pertinent, ficta atque composita declarare vix dubitem.

[1]) Diod. III. 34. V. 46. Plin. h. n. VI. 44. Plut. de Is. et Os. XXIII. cf. Böttiger. l. c. I. p. 186.

[2]) Librum nostris temporibus edidit Orelli: Sanchuniathonis Berythii, quae supersunt fragmenta. Lips. 1826.

[3]) Arnob. adv. gent. V. p. 197. August. de civit. Dei. VIII. 5. 23.

[4]) Plin. hist. nat. XXX. 2. Clem. Strom. L. 6. 2. §. 26. p. 752.

Quae vero interpretatio amplexanda videatur, non habeo, quibus probem. [1])

Hoc autem explicandi genere locus ille Plutarchi difficilis paulo magis perspicuus fit, nisi forte eum ipsum, qua superstitione Plutarchus teneretur, testimonium esse velimus, aut quum insoliti tumultus vocesque insuetae Panis esse dicerentur, gubernatorem insolitum aliquid percipientem ad Panem haec retulisse putemus.

Illam vero definitionem, qua hic locus testimonium gentibus est, Dominum nostrum esse mortuum [2]) omittere placet, quum dubitationes difficultatesque magnae in ea sint, atque si veritate niteretur, non Dominus noster illius Panis magni nomine nominandus videretur, sed religiones antiquae, quae ejus morte funditus deletae atque conversae sunt. [3])

Quare jam ad Panem cum aliis diis comparandum aggredior.

§. 11.

Pan cum aliis diis similis naturae comparatur.

Praecipue hoc loco illi dii commemorandi videntur, qui aut vim quandam solarem aut fecundam natura sua exprimant, cum quibus Panem saepe conjunctum aut commutatum invenimus.

1) Primus, qui nobis occurrit, Jupiter ipse est. Praetereo autem hoc loco Jovem Aegyptiorum, qui natura sua omnino cum Pane convenit, meque ad cultum Graecorum converto, ex quorum fabulis similitudinem derivare studebo.

Nam ne Jovis in Boeotia culti, qui *κεραιός* i. e. cornutus nominabatur, hoc loco mentionem faciam, invenimus Panem cum Jove Lycaeo conjunctum; [4]) quod cognomen in utroque, ut supra commemoravi, lucis naturam significat. In mythologia autem Cretensi tam arcte cum Jove conjungitur, ut etiam filius aut frater ejus nominetur. [5])

Quare si Callimachus hym. 1. 7. Jovem in Arcadia natum esse cecinit, cum Cicerone de nat. Deor. III. 21. convenit, qui quum tres Joves distinguat, duos in Arcadia natos esse contendit.

Praedicatur autem de Jove, ita eum nominatum esse, quoniam omnibus rebus vitam (*τὸ ζῆν*) tribuat, [6]) magnique momenti esse videtur, quod apud Platonem Phaedr. 26. p. 246. Bekk. legimus *ὅ* (quod vitam praebet) *ἐστιν ἥλιος*. Quae quidem etymologia etsi minime placet, sed

---

[1]) Viri doctissimi in hac fabula explicanda haesitant, atque Lauer. Syst. d. G. M. p. 240. haec fere habet: »Eine merkwürdige Sage, deren Deutung ich nicht versuche, findet sich über den Tod des Pan bei Plutarch.«

[2]) Sepp. Gesch. Jesu. I. p. 165. Heidenth. in sein. Bedeut. III. p. 268. Quae tamen Lambinus com. in. Hor. carm. IV. 12. 11. (Confluent. 1829. Tom. 1. p. 424.) ad fulciendam hanc sententiam ex Panos qualitatibus naturaque profert, minus perspecta habeo, atque propter indignam comparationem omnino improbo rejicioque.

[3]) van Dale: de oraculis veter. ethn. Amstel. 1701. p. 432—443. sententias Eusebii, Baronii de morte Panis refutat.

[4]) Paus. VIII. 31. 2; 36. 5. cf. Aesch. Agam. v. 56.

[5]) Schol. Theocr. 1. 3. Epimen. ap. Eratosth. Catast. cap. 26. Apollod. 1. 6. Hyg. Astr. II. 28. p. 480. schol. Eurip. Rhes. 36. Aeschyl. fragm. 454. ed. Herm. T. 1. p. 408.

[6]) Stob. Eclog. 1. p. 48. hym. Cleanth. l. c.

illa, quam Welckerus Gr. Gttrl. p. 131. profert, comprobanda videtur; tamen, quod ad finem adtinet, omnino cum hac consentit, quum in utraque lumen quoddam primitivum quasi fons atque principium rerum naturae habeatur. Similes autem in Pane qualitates reperimus. Quare minime mirandum videtur si legimus: *Ὀρφεὺς τὸν ἥλιον Ζῆνα προσαγορεύει καὶ Πᾶνα.* [1])

Sed jam hanc Orphicorum doctrinam hoc loco omitto, meque ad alios deos Panis similes converto.

2) Inter hos autem maxime Pan cum Hermete convenit, cujus filius nominatur. [2]) Hermes autem sicut Pan duplicem naturam exprimit. [3]) (cf. §. 5.) Quare etiam sicut Panem cum Demetre, sic Hermetem cum Cora conjunctum invenimus, [4]) simulque easdem fere proprietates in Hermete atque in Pane reperimus. [5]) Nam non solum deus pastorum gregumque nominatur, [6]) sed etiam eo, quod lyram invenit atque homines a feris moribus atque incultis ad disciplinam quandam atque doctrinam assuefecerit, quasi vice Panis functus est. [7])

3) Sed etiam cum Apolline non minus tota sua natura consentire videtur Pan eadem de causa, quum hic quoque lumen solare exprimat. Nam sicut Jupiter, sic etiam Apollo cognomine *Λυκαῖος* notus est, et Paus. VIII. 31. 3. quum Apollinem cum Pane conjungit, addit, eos *εἶναι θεῶν τῶν πρώτων*. Praeterea etiam Apollo *θεὸς νόμιος* est, qui syringe atque lyra canit, choros Nympharum instituit atque oracula tribuit; [8]) ita ut easdem fere in utroque inveniamus proprietates. Cultus vero Apollinis quum apud Dores praecipue valeret, postero tempore sublimiorem formam recepit atque ille Apollo *Καρνεῖος* (Welcker. Gr. Gttrl. p. 469.) omnino cum Pane commutatus esse videtur. (Rückert. Troja p. 88.) Sed quando haec commutatio facta sit, certis testimoniis

---

[1]) Joan. Diac. ad Hesiod. v. 381. p. 473. Macrob. Sat. 1. 23. cf. de connexu atque similitudine Panis cum Jove: Gerhard. Gr. Myth. 1. p. 178. et p. 533, Lauer. Syst. d. Myth. p. 233.

[2]) cf. §. 6.

[3]) Plut. de facie in orb. lun. p. 943. B. de Js. et Osir. p. 367. D. Euseb. Praep. ev. III. p. 114. Col. Macrob. Sat. 1. 17. 5.; 19. 8. cf. Lobeck. Aglaoph. p. 1212.

[4]) Herod. II. 51. Propert. II. 2. 11.

[5]) Quare saepius etiam in simulacris haec intima eorum connexio fingitur, quum in una eademque columna saepius Hermetis atque Panis caput invenimus, quod columnarum genus Hermopanes vocatur. cf. Anth. Planud. IV. 234. Tauch.

[6]) Schol. Odys. XXIII. 198. Paus. IX. 34. 2. Hymn. Hom. in Mercur. 567. Il. XIV. 490. XVI. 179. Ovid. Metam. I. 676.

[7]) Hesiod. Op. et dies. v. 79. hym. Hom. in Mercur. v. 40. hym. Orph. XXVII. 2. Athen. XI. 12. Pind. Pyth. II. 18. Lucian. dial. deor. VII. 4. Orph. Argon. 381. Horat. carm. 1. 10. Serm. 1. 3. 99.

Apud posteros poëtas Latinos Pan etiam nuntius deorum sicut Hermes fuisse videtur. Legimus enim apud Sil. It. XIII. 326.

»Pan Jove missus erat, servare tecta volente Troïa . . .« et. v. 343.

»Hic (Pan) postquam mandata dei perfecta, malamque sedavit rabiem et permulsit corda furentum cet.«

Quum Pan sicut Hermes et in gregibus et in frugibus augendis auxilium praebeat, minime mirum est, si omnes omnino atque ipsius fortunae eventus ad eos pertinuisse eosque in cuborum ludo arbitros fuisse legimus. cf. Eustath. ad Hom. Odys. 1. 107. Preller. Gr. Myth. 1. 251.

[8]) Eurip. Alcest. v. 445. 570. hym. Hom. 1. 143. Paus. VII. 20. 3. Callim. hym. Del. 5. 19. Plut. Mus. XIV. Macrob. Sat. 1. 17. 303. Horat. Carm. 1. 21. 5. carm. saecul. 61. Hym. Orph. XXXIV. 24. haec fere de Apolline commemorat:

ἔνθεν ἐπωνυμίην σε βροτοὶ κλήζουσιν ἄνακτα,
Πᾶνα θεὸν δικέρωτ᾽, ἀνέμων συρίγμαθ᾽ ἱέντα.

probari nequit, fortasse autem conjicere licet, eo tempore eam esse factam, quo cultus Dionysi in Graecia pervulgaretur. [1]) Pindarus vero secundum Gloss. MSS. in Verg. Georg. 1. Panem filium Apollinis et Penelopae fuisse contendit.

Haec vero Heraclemque, qui etiam naturam solis repraesentat atque cum Pane convenit, hoc loco omitto, quum de Heracle postea in Orphicorum de Pane doctrina fusius dicendum esse videatur, meque jam ad Dionysum converto, cum quo intime Panem conjunctum invenimus.

4) Quod ad Dionysum pertinet, jam in hymno Homerico in Panem v. 46. legimus, Panem prae ceteris diis ei gaudium oblectationemque obtulisse. Quam intime autem cum Dionyso conjunctus sit Pan, ex eo praecipue intelligi posse censeo, quod Pan filius Oeneidis Nymphae, [2]) de qua supra mentionem feci, atque Sileni pater vocetur. [3]) De hoc autem, quamquam apud antiqui temporis scriptores diversissimae sententiae opinionesque valent, quum alii eum Dionysi educatorem alii patrem nominent, [4]) constare videtur, esse eum vim aquae fluentis. [5]) Quare quum equus praecipue aquam repraesentet, Silenum cauda equina fictum invenimus. Hic mythus igitur, Panem esse patrem Sileni, magnopere cum illo convenit, quo Pan cum Nymphis arctissime conjungitur, vimque illam solarem, quae cum humore omnia gignit, significat. Quare minime mirum esse puto, si in Sileno, quas in Pane legimus qualitates similes, ut cantum, vaticinium fuisse legimus atque σύριγξ πολυκάλαμος ab eo inventa esse dicitur. [6])

Panem autem cum Dionyso magna itinera fecisse [7]) adeoque in Indiam eum comitatum fuisse, legimus. Quid mirum igitur, quod saepius eum cum Dionyso commutatum invenimus?

Dionysus vero non solum deus solaris fuisse videtur, [8]) sed cum Maja conjunctus, deus animalium atque plantarum nominatur, atque

---

[1]) Magni momenti in hac quaestione solvenda fabulam de Marsya, quam apud Apollod. 1. 4. 2. legimus, esse puto, praecipue si cum hoc loco, quae Apulejus floril. 1. p. 341. de Marsya dicit, comparemus, eum (Marsyam) fuisse vultu ferino trucem, hispidum, illectibarbum, spinis et pilis obsitum; quae quidem magnopere cum fabulis de Pane narratis convenire videntur. Quare Ovid. Metam. XI. 146. Panem pro Marsya cum Apolline certasse commemorat, atque σύριγξ κηρόδετος a Marsya inventa dicitur. Athen. IV. cap. ult.

[2]) Schol. Theocr. 1. 3. Etiam templa amborum deorum unita inveniebantur. Paus. VIII. 26. 2.

Apud Sophoclem Aj. 699. autem chorus Panem rogat, ut saltationes chorosque Dionysiacos ducat.

[3]) Serv. ad Verg. Eclog. VI. cf. Theod. Terap. VII. 885. T. VII. Schulz; qui Panem intime cum Sileno conjungit.

[4]) Herod. V. 26. Athen. II. 6. Aelian. var. hist. III. 18.

[5]) Welcker. Nachtrag z. Tril. p. 214. Gessner. de Sileno et Silenis comment. Goetting. antiq. T. IV. 1782. p. 35.

[6]) Athen. IV. cap. ult.

[7]) Diod. Sicul. 1. 18. Lucian. dial. deor. XXII. 3. Nonn. Dionys. XXXII. 27. Polyaen. hist. bel. 1. 2.

[8]) Nominatur Dionys. λαμπτήρ; Euseb. Praep. evang. II. 1. Anthol. Planud. IV. 156. Tauch. Serv. ad Verg. Aen. VIII. 343; φανστήρως, πυρπόλος; Lycoph. 212. φλέγων ἀγλαῶπι πεύκᾳ; Soph. Oedyp. Tyr. 214. Cursus autem cum facibus in ejus honorem fiebat. Paus. VII. 27. 2. Cum his vero, quae supra de Dionysi in Attica cultu commemoravi, (§. 5.) conjungenda sunt, quum quam intime duo numina cohaereant, clarius etiam magisque perspicuum reddant. Minime mirum enim videtur esse, si quae dixi perpendamus, apud temporis posterioris scriptores nullam omnino inter hos deos inveniri differentiam. cf. Rückert. Troja p. 86.

in speluncis abditis absconditus, vitam large atque abunde distribuit, ut paucis dicam, id quod animum mundi nominare solemus apud philosophos Dionysum fuisse puto. [1])

5) Saepissime etiam Panem cum Deorum Matre conjunctum invenimus, ita ut etiam ex ea natus esse dicatur. Pindarus vero prae ceteris poëtis Panem cum Magna Matre in carminibus suis honorat. [2]) Etiam in mysteriis Magnae Matris locum eum obtinuisse, ex multis scriptorum locis elucet. [3])

Connexum autem Panis cum Prometheo, Hephaesto atque Athena, quae dea primitus lucem exprimit, hoc loco omittendum esse puto, quoniam minus gravis esse videatur. Sed ex his, quae attuli, varios luminis deos apud Graecos intime conjunctos esse apparet, simulque etiam earum gentium, quae greges pascerent, deos primarios fuisse numen quoddam solare, verisimile fit. (Welcker. Gr. Gttrl. p. 224.)

Quare quum tantam inter primos deos similitudinem atque conjunctionem inveniamus, quid mirum esse videtur, si Panem apud Orphicos eum deum esse legimus, qui omnes omnino qualitates facultatesque in se contineat, nomenque ab ipsa natura perceperit, quum universum mundum (*τὸ πᾶν*) complectatur?

Itaque jam ad hanc doctrinam explicandam me converto, quae postero tempore tantopere valuit, ut quae antea commemoravi, magis magisque evanuerint, atque haec sola fere superstes fuerit.

§. 12.

Orphicorum de Pane doctrina explicatur.

In hac Orphicorum doctrina explicanda complures difficultates invenimus, quoniam jam scriptores antiqui dissentiant, quando et quo tempore hymni illi, qui Orphici appellantur, orti sint et unde originem duxerint. Sed has varias scriptorum opiniones praetermittendas esse

---

[1]) Macrob. Sat. 1. 18. 12. Porphyr. de antro Nymph. XIV. p. 15. Procl. in Plat. Alcib. I. 48. Plato. Gorg. p. 164. Bekk. Procl. in Plat. Timae. II. p. 124.

Ex doctrina autem, quam mysteriorum vocant, Dionysum solem fuisse, qui per anni spatium duplicem et hiemis et aestatis viam perambulet, clare dilucideque apparet. Joan. Lyd. de mens. p. 81. 83. Arnob. adv. gent. III. 33.

Ut paucis dicam, connexio Panis cum Dionyso atque Hermete certe intima erat, ita ut ex similitudine naturae quam perfectissima tantum explicari posse videatur.

Rationem inter Panem et Dionysium paucis quidem sed eleganter exposuit Stuhr. Relig. Syst. II. p. 313: »In zweifacher Beziehung, sowohl in seinem Verhältniss zum Staatsleben, als hinsichtlich seines Verhältnisses zum Naturleben musste Pan sehr bald dem Dionysus verknüpft werden. Im Dionysus ward sowohl die Lebensseele verehrt, als auch das Moment naturgemässer Freiheit.«

[2]) Pind. Pyth. III. 78. et schol. ad h. l. frag. 62. et 63.

Ex poëtis Latinis de hoc connexu Valer. Flaccus Arg. III. 47. conferendus est. »Mygdoniae Pan jussa ferens saevissima matris« de eo canit, qui quasi nuntius Magnae Matris describitur.

[3]) Aristoph. Lysist. 2. Thesmoph. 984. Aves. 745. Strabo. IX. 376. Plut. Amat. XVI. 31. Lobeck. Aglaoph. p. 630. cf. praeterea quae de Esmun postea dicenda sunt, et Movers. Phoen. 1. p. 652.

putavi, atque illud statuendum censeo, rem argumentumque hymnorum Orphicorum certe antiquum esse, etiamsi forma recentior sit. [1])

Sed etiam de argumento hymnorum eadem dissensio valet, quum complura doctrinae Orphicae genera inveniantur, quae unde originem ducant saepissime in discrimen vocatum est. [2])

Sed quod ex singulis doctrinae Orphicae elementis concludi jam liceat, quodque quasi summam totius systematis ut vocabulo Graeco utar contineat atque repraesentet, hoc esse videtur:

> Erat in principio tempus (*χρόνος*) numquam senescens, quod ex sese Chaos (*χάος*) infinitum indeterminatumque una cum Aethere (*αἴθηρ*) uvido et humido atque Tartaro (*Ἔρεβος*) tenebroso progenuit, in quibus deinceps ovum ortum est, ex quo disrupto Phanes (*Φάνης*) sive Ericopaeus (*Ἠρικοπαῖος*) processit, qui naturam viri atque feminae in sese continens (*ἀῤῥενόθηλυς*) Protogonos, Zeus, Pan, nominabatur. [3])

In hac doctrina igitur deum invenimus, qui Phanes, Ericopaeus, Pan nominatur. De vocabulorum etymo quum semper certatum sit, ex qua lingua orta sint, nihil aliud dicendum esse puto, nisi quod Nonnus Phanetem *πρωτότοκος* nominat atque vocabulum ex Graeca lingua explicat. [4])

Si cum hoc loco, quem apud Nonnum legimus, alium Eusebii comparemus, quo declaratur:

> Primum animal fuisse serpentem, qui quum oculis circumspi-

---

[1]) Ex Herod. VII. 6. quo loco Onomacritus a Pisistrato ex urbe ejectus narratur, quod *ἐμποιέων ἐς τὰ Μουσαίου χρησμόν* deprehensus erat, apparet, illis temporibus jam doctrinam quandam arcanam viguisse, quae quum in partes disjecta esset, a Pisistrato iterum in unum collecta est. Doctrina vero illa arcana certe vetustissima magni in Heraclitum (circiter annum 500 a. Ch. n.) momenti fuisse videtur; (Zeller. Philos. d. Griech. T. 1. p. 481. 3.) in seculo quinto autem tantopere cultum deorum commutavit, ut principia pantheismi quem vocant apud scriptores hujus temporis inveniamus. Fragmentum enim apud Clem. Strom. V. 603. D. quod Nauckius frag. Trag. 588. Euphorioni, Aeschyli filio tribuit:

Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς τ᾽οὐρανός
Ζεύς τοι τὰ πάντα, χ᾽ὤτι τῶνδ᾽ ὑπέρτερον,

vestigia quaedam ut ita dicam doctrinae Orphicae jam expressa continet. Apud Euripidem vero sententias Orphicas invenimus, si deos, quos populus colit, nomina tantum unius numinis divini diversa esse vult. frag. 904. Nauck., quo Zeus et Pluto. frag. 781. 11. quo Helius et Apollo secundum Orphicorum doctrinam commutantur. Pertinet huc quoque si animum ex aethere ortum esse censet. Suppl. 532. Helen. 1012. Postero tempore haec doctrina Orphica inter philosophos magna incrementa cepit.

[2]) Quod ad hymnos Orphicos adtinet, certe in iis multa falsa et spuria inesse, jam ex Herod. VII. 6. consequi videtur. cf. Bode: Quaest. de antiquiss. carm. Orph. aet. patr. et indole. 1838. et Clausen: Hell. Encyclop. s. v. Orpheus. Hermann. Orphica p. 772 et p. 811. hymnos Orphicos propter numerum atque indolem in quartam versus heroici aetatem, quae cum Nonno incipit, incidisse putat. cf. l. c. p. 684.

[3]) Hym. Orph. VI. 4. 8. Orph. frag. inedit. 7. p. 168. Tauch. Procl. in Tim. II. p. 102. 37. III. p. 130. Apoll. Arg. 1. 495. Clem. Rom. recog. ad gent. X. 17. 27. Homil. III. 6. Athenagor. apolog. p. 72. Damascius de princ. p. 381. Koppe. cf. Lobeck. Aglaoph. p. 478.

[4]) Nonnus Dionys. XII. 34. Etym. M. p. 797. 29.

τὸν δὲ καλέουσι Φάνητα,
ὅτι πρῶτος ἐν αἰθέρι φαντὸς ἐγένετο.

Macrob. Sat. 1. 17. 34. »Item *Φάνητα* appellant (Solem.) *ἀπὸ τοῦ φάνειν*, quia sol quotidie renovat sese.« cf. Macrob. Sat. 1. 18. 13. De conjunctione vocabulorum Pan, *Φάνης* et *φάλλος*, cf. Gerhard. Hyp. Roem. Stud. II. p. 102. 103. n. 53. Gfroerer. Urgesch. d. menschl. Gesch. II. 372.

ceret, omnia circum se lumine impleret, oculis autem clausis tenebras offunderet [1]),
jam natura hujus numinis primi, quod etiam Heracles nominabatur, perspici potest. [2])

Phanes igitur etiam numen quoddam solare significat, quod quasi quandam manifestationem, ut Augustini verbis utar, luminis primarii, infiniti, incomprehensibilis esse puto. Nam illud lumen primum quasi filios ex sese emittit illa lumina minora, Hermetem, Dionysum, Heraclem qui ex illo emanant, et post tempus certum determinatumque in illud redeunt, quique, quum lumen incomprehensibile sensibus comprehensibile reddant, cum hoc saepissime commutantur.

Heracles vero ille, sive ex doctrina Orphica Phanes, deus solis atque anni intelligendus est; [3]) atque si saepius eum in fabulis boves agentem invenimus, hoc significat, eum menses per totius anni spatium ducere, quum vocabulum *βοῦς* apud Orphicos menses fuisse constet. [4]) Nam boves Geryonis in Occidentis regionibus agit, in Sicilia vero eos per totam insulam circumducit; [5]) in Thessalia quoque eum boves agentem invenimus, qua fabula significari videtur, solem per duodecim anni menses pertransire eosque ad finem perducere. [6]) Quare minime mirum esse puto, si cum aliis numinibus, cum Hermete atque Dionyso, [7]) quin etiam cum Chrono (*χρόνος ἀγήρατος*), [8]) eum commutatum invenimus, atque deinceps eum quasi quoddam numen, quod omnia in sese contineat, descriptum atque declaratum Panemque vocatum reperimus.

Si autem Pan ex hac doctrina totius mundi deus esse existimatur, si omnia quae sunt, in sese contineat, et *ζωοδοτήρ* nominetur eique *κρατὴρ ζωογόνον* tribuatur, si denique infinitum quoddam atque incomprehensibile numen appelletur; quid est, cur miremur, etiam ejus effigiem, qua defingi solitus erat, ad hanc doctrinam esse conformatam. Quare cornua ejus sunt solis radii atque cornua lunae; facies ejus rubra, aether igneus; pellis, (*νέβρις*) quem humeris gestat, varius maculatusque, stellarum variae lucentesque imagines; partes ejus inferiores, animalium similes, arbores atque virgulta. [9])

Nominatur etiam filius Saturni (*χρόνος*) et Rheae, quum ex ratione aeterna atque materia semper fluitante et varia omnes res in rerum natura ortae atque procreatae sint. [10]) Propterea etiam cum Jove com-

---

[1]) Euseb. Praep. evang. 1. 10. p. 41. cf. Orph. frag. inedit. 5. p. 168. Tauch.
[2]) Hym. Orph. VI. p. 58. Tauch. cf. de Phanete praecipue apud Movers. Phoen. 1. p. 282. 554. 555. sq., quae de etymo vocabuli atque de natura dei commemorantur.
[3]) Macrob. Satur. 1. 18. 1. 20. 11.
[4]) Procl. ad Hes. p. 168. De *μόσχος* in eodem sensu, cf. Eustath. ad Odys. XIX. 307.
[5]) Diod. IV. 23. Apollod. II. 5. cf. Heyne. observ. ad Apoll. p. 158.
[6]) Apollod. III. 10. 4. Heyne. observ. p. 68. 280. Buttm. Mytholog. II. 113.
[7]) Etymol. M. s. v. *Διόνυσος*. III. 430.
[8]) Joan. Lyd. de mens. p. 92.
[9]) Schol. Theocr. 1. 3. Serv. ad Verg. Ecl. II. 31. X. 27. Macrob. Sat. 1. 18. 22. Porphyr. ap. Euseb. Praep. evang. VI. p. 114. Cornut. de nat. deor. XXVII. Isid. Orig. VIII. 20. Albricus philos. (Myth. Lat. p. 914. Staver.) de Pane haec dicit:

»Pan ab antiquis diebus fuit deus naturae et in similitudinem naturae universalis fuit ab iis taliter figuratus. Pingebatur homo cornutus cum facie rubicunda in cujus pectore stellarum plurium erat forma. Pellis ejus in parte pingebatur stellata, femora autem habebat denudata cum herbis et arboribus prodeuntibus ex ea, et in ore ejus fistulam septem calamorum tenebat, quam digitis pulsare videbatur.«

[10]) Joan. Lyd. de mens. p. 118.

mutatur, ejusque vice fungitur. [1]) Praedicatur autem eadem de causa Coelum et Terra, Lucifer atque omnes res Germinans. [2]) Est Pan deus rusticus, Servius dicit, atque ita nominatur, quod omnem naturam exprimat, Solem, Lunam, Aethera cet. [3])

Denique etiam eum *τὸν τῆς ὕλης κύριον* ea notione, qua philosophi illud *ὕλη* sive materia intelligunt, nominatum legimus, si Macrobius: »Hunc Deum, (Panem) inquit, Arcades colunt, appellantes *τὸν τῆς ὕλης κύριον*, non silvarum dominum, sed universae substantiae materialis dominatorem significare volentes.« [4])

Quare quum ex iis, quae praecedunt, natura Panis clare atque perspicue elucere videatur, quum quasi via patefacta sit, qua fabula usque ad Orphicorum doctrinam ingressa sit; nihil restat, nisi ut de Fauno, Italorum deo, qui saepissime cum Pane comparatur atque conjungitur, pauca dicenda sint, quoniam ad naturam Panis plane perspiciendam multum conferant.

§. 13.

Pan cum Fauno, Italorum deo, comparatur.

In fabulis gentium Italarum praecipue Latinarum Faunum commemoratum legimus, qui etymo suo atque natura magnam omni tempore difficultatem praebuit.

Nam quod ad etymum pertinet, vocabulum Faunus a »faveo« factum esse putant. Quidam, ait Servius ad Verg. Aen. VIII. 314., Faunum appellatum volunt eum, quem nos Propitium dicimus. Idem vero ad Verg. Georg. 1. 10. dicit, Faunum ita dictum ab eo, quod frugibus faveat.

Alii ab »fari« i. e. vaticinari derivatum esse putant deumque ita appellatum, quoniam oracula canat. [5])

Sunt autem et alii, qui eandem cum vocabulo *Πάν* radicem esse putant, ex Graeco quidem vocabulo *φάω* i. e. luceo, for.

Alii denique Faunum initio regem Italiae fuisse commemorant, filium Pici cujusdam, qui postea in avem, quae idem nomen gerit, commutatus est. [6])

---

[1]) Joan. Diacon. ad Hes. v. 381. p. 473. Macrob. Sat. 1. 23. *Ὀρφεὺς τὸν ἥλιον Ζῆνα προςαγορεύει καὶ Πᾶνα.* et *τὸν Πρωτόγονον ἡ θεολογία ἀνυμνεῖ καὶ Δία καλεῖ πάντων διάκτορα καὶ ὅλον τοῦ κόσμου, διὸ καὶ Πᾶνα καλεῖσθαι.*

[2]) Damasc. quaest. p. 381.

[3]) Hym. Orph. XI. 10. Procl. in Tim. III. p. 137. Haec sententia praecipue apud Latinos posterioris temporis valuisse videtur, qui vocabulum Graecum *ὕλη*, quasi primam materiam, et *θεὸν ὑλικόν*, ut Panem, Faunum aliosque, quasi deos materiales, sive omnem naturam continentes interpretabantur. cf. Serv. ad Verg. Aen. VIII. 600. ad Verg. Eclog. II. 34. hym. Orph. 1. 14. Latini igitur omnino cum sententia hymni Orphici XI. 1. conveniunt:

Πᾶνα καλῶ κοσμοῖο τὸ σύμπαν.

cf. Cornut. d. nat. deor. XXVII.

[4]) Macrob. Saturn. I. 17. 4. »Diversae virtutes solis nomina dis dederunt, unde *τὸ πᾶν* sapientum principes prodiderunt.« cf. 1. 22.

[5]) Varro d. ling. Lat. VIII. p. 323. Justin. XXXIII. 1. 8. Aurel. Victor. Orig. gent. Rom. 5. »Faunus, inquit, quem a fando dictum volunt, quod is solet futura praecinere.« Certe autem qualitate, quae prima non est, deo nomen, quod plerumque gerit, inditum non est; etsi cognomina a qualitatibus quibusdam derivata saepius invenimus.

[6]) Verg. Aen. VII. 170. Ovid. Metam. XIV. 313. Sueton. Vitel. I. Gellius noct. Att.

Sed quoniam de etymo vocabuli certum judicium perhiberi nequit, jam ad fabulas ipsas tractandas aggredior, quibus fortasse, quo loco vocabulum ortum sit, clarius elucescat.

In cultu Fauni duo praecipue momenta distinguenda puto, alterum quod ad principalem ejus naturae partem pertinet, alterum vero, quod ad secundariam spectat; et quae cognomine ipso jam distinguuntur. Vocatur autem Faunus et Lupercus et Inuus.

Prius illud cognomen Luperci ea de causa eum habere fabulantur, quod lupos a gregibus arceat; sed si nomen ipsum cum Graeco *Λυκαῖος* comparemus, alium sensum certe multo praestantiorem invenimus.

Nam in omnibus Occidentis regionibus quasi quendam solis cultum valuisse constat. Ad quod demonstrandum cur multa testimonia proferam; quum jam sufficere putem, si in mentem illa revoco, quae paulo ante commemoravi? Invenimus enim Heraclem boves agentem in extremis Occidentis finibus, in Hispania, Italia atque in Sicilia. Heraclem autem solare quoddam numen esse omnes consentiunt. Quare igitur dubitemus etiam inter Latinos cum Pelasgis Graeciae tam arcte intimeque conjunctos cultum solis viguisse, praesertim quum Heraclem in Italia boves agentem legamus, terramque ipsam a bubus ejus nomen duxisse, veteres scriptores fabulentur. [1])

Quo quidem fundamento nixi aliam nominis Luperci interpretationem proferimus, quum sicut Graecum *Λυκαῖος* ad solis cultum pertineat. Quare nihil aliud hoc cognomine significatur, nisi quod jam in Pane cognovimus, esse etiam in Fauno quandam vim solarem, qua in res terrenas praecipue verno tempore, quo Lupercalia Idibus Februariis agebantur, influat novamque vitam in eas effundat; quod quidem loco, quem apud Livium 1. 5. invenimus, magnopere confirmatur:

»Evander instituit sollemne, ut nudi juvenes Lycaeum Pana venerantes per lusum atque lasciviam currerent.

Quare etiam eum cum Pane omnino commutatum legimus, [2]) et Macrobius Sat. 1. 12. »Pan ipse inquit, quem vocant Lupercum sub hoc habitu quo cernitur, solem se esse prudentioribus permittit intelligere.«

Sin autem haec primaria dei natura fuisse videtur, ut solem ejusque vim repraesentet, ejus cum Fauna conjunctio, quae dea ex Pontificum libris [3]) etiam Maja, Ops, Bona Mater appellatur, omnino con-

---

V. 21. XIII. 9. Arnob. adv. gent. V. 1. p. 483. Diod. fragm. lib. VI. Bekk. *ἔσχε δὲ ὁ αὐτὸς Πῖκος, ὁ καὶ Ζεὺς, υἱὸν ὀνόματι. Φαῦνος, ὃν καὶ Ἑρμῆν ἐκάλεσεν.* cf. Cramer. Anecd. Paris. II. p. 236. Dionys. Hal. I. 31. Faunum Martis, regis Aboriginum filium fuisse tradit. Mars vero, sive Marmar in fabulis Latinorum antiquissimis vim naturalem et procreativam significat. cf. Preller. Roem. Myth. p. 297.

[1]) Apoll. II. 5. 10. Varro. de re rustica. II. 5. Quam intime Faunus cum Heracle conjunctus sit, ex fabula apud Salmas. ad Solin. p. 10. 6. T. et Scaliger. ad Festum s. v. Palatium, concludi licet, secundum quam Heracles cum Hyperborea sua in Italiam venit, gravidam ex se fecit, nuptum dedit Fauno, apud quem illa Latinum peperit.

[2]) Iust. 43. 1. 7. »In Palatii radicibus templum Lycaeo, quem Graeci Pana vocant constituit.« Horat. car. 1. 17. 2. Rutil. Itiner. 1. 232.

»Hoc Inui castrum fama fuisse putat. Seu Pan Tyrrhenis mutavit Maenala silvis, Sive sinus patrios incola Faunus init.« Prob. Verg. Georg 1. 10.

Minime mirum igitur videtur esse, si quas de Pane legimus genealogias easdem de Fauno reperimus cf. Plut. Paral. 315. B. Calpurn. 1. 33.

[3]) Macrob. Sat. 1. 12. 21. Arnob. adv. gent. 1. 36. V. 18. Legimus his locis, Corn. Labeonem scripsisse: Faunam esse Fatuam fando, quod infantes partu editi non prius vocem edant, quam terram attigerint, Faunam, quod omni usui animantium faveat, Opem, quod ipsius ope vita constet, Bonam Deam,

venire videtur cum ea, quam Panem inter atque Demetrem supra commemoravimus. Sicut enim Pan illam sub arietis specie oppressit, ita Faunus sub specie serpentis, qui juventutem atque vim renovatae naturae repraesentat, cum ea convenit. Eam Faunam autem vino ebriam fuisse in fabulis legimus, ut quasi ebria atque insultans naturae vis verno tempore significetur.

Ex hac autem Fauni dei natura, quam solarem constituimus, quasi sua sponte aliae quaedam proprietates cum Pane maxime similes sequuntur. Nam etiam homines rudes atque incultos mores molliores bonosque docuisse fertur, [1]) adeoque cum Numa religionem eum constituisse in fabulis est. Musicam quoque eum coluisse ex Ennii verbis [2]) fortasse concludi licet:

Scripsere rem alii
Versibus quos olim Fauni vatesque canebant.

Ex solari ejus natura, sicuti in Pane intelleximus, etiam id sequitur, quod oracula cecinit; [3]) Numaque ipse, Egeria Nympha auxiliante, eum Picumque cepit, captumque oracula edere coegit. [4])

Praeter cognomen Luperci in Fauno aliud quoque Inui invenimus, quod ad alteram naturae partem pertinere statui. Nomen ipsum autem ab ineundo, quod pro concubitu positum est, derivatum esse, veteres ipsi testantur. [5]) Veris tempore autem, quum omnes res in natura augeantur et crescant, solis vis praecipue in animalibus ostenditur, Faunusque ea de causa gregibus praeesse dicitur. Quare hac qualitate omnino cum Pane comparandus est, atque Servius ea de causa paucis declarat: »Inuus vocatur Graece Pan.« [6]) In silvis igitur fera venatur, intimeque cum Diana conjunctus est, [7]) quod etiam ad solarem ejus naturam spectat, quum Dianam lunae praeesse constet. Deinde autem sicut Panem subito in silvis montibusque viatores eum terrere atque anxios eos reddere fabulantur, [8]) atque in proeliis saepe subito terrore hostes eum projecisse eosque late fugasse, compluribus veterum testimoniis probari potest. [9])

---

quod omnium nobis ad vitam bonorum causa sit. cf. Gerhard. Hyp. Roem. Stud. II. p. 98. sq. c. n.

[1]) Lactant. 1. 22. Prob. Verg. Georg. 1. 10.

[2]) Ennius. Annal. 221. Horat. carm. 1. 17. 6. II. 17. 28. Isid. Orig. III. 20. Calpur. IX. 13.

[3]) Ovid. fast. VI. 644. Verg. Aen. VII. 79. Calpur. Ecl. 1. 8. Heyne exc. 5. ad Aen. VII.

[4]) Plut. Numa 15. Arnob. adv. gent. V. 1. p. 483. Ovid. fast. III. 291.

[5]) Paul. p. 110. »init, ponitur interdum pro concubitu.« cf. Serv. ad Verg. Aen. VI. 776. Aurelius Vict. de orig. gent. Rom. C. IV. Rutil. Itin. Lib. 1. v. 232. Serv. l. c. haec fere dicit:

»Inuus Latine appellatur, Graece Πάν; item ἐφιάλτης Graece, Latine Incubo, idem Faunus item Fatuus Fatuellus. Dicitur Innus ab ineundo passim cum omnibus animalibus, unde et Incubo dicitur.«

De vocabulo Incubo sive Incubus, cf. Acron. ad Hor. carm. I. 17. 2.

[6]) Serv. ad Verg. Aen. VI. 776. cf. Macrob. Sat. 1. 22. 2 sq. Arnob. adv. gent. III. 23. Liv. 1. 5. »quem (Pana) Romani deinde vocaverunt Inuum.« Lambin. ad Hor. carm. I. 4. 11: »Faunum quidam volunt eundem esse atque Pana, qui et Inuus (legend. pro Irius) dicitur, graece ἐπιάλτης.« Castrum Inui commemoratur a Vergilio Aen. VI. 775.

[7]) Lucret. de rerum nat. IV. 570. Verg. Georg. 1. 10. Aen. VIII. 314. Propert. IV. 2. Salmas. in Solin. p. 1088.

[8]) Dionys. Hal. V. 16.

[9]) Cicero de div. 1. 45. 101. de nat. deor. II. 2. 6. III. 6. 15. Liv. II. 7. Dionys. Hal. V. 16. Valer. Max. 1. 8. 4. Diod. V. 14. 32. Joseph. B. J. V. 25. VII. 1. Plut. Mor. p. 192. C. p. 356. D. Plut. Caes. 43. Pomp. 68. Cornut. de n. deor.

Quare quum omnes fere qualitates in eo inveniamus, quas antea in Pane comperimus, quum praeterea in festis ejus diebus caprum ei inmolatum esse legamus; [1]) non possumus, quin eum Panis maxime similem atque eundem deum esse putemus. [2]) Quod tamen quantopere etiam apud veteres scriptores valuerit optime ex sententia Ovidii de Pane et Fauno concludi potest, quam paucis explanare placet.

Secundum Ovidii sententiam Pan est deus Arcadum, qui gregibus ovium equarumque praeest, fast. II. 271. 277., cui quum semicaper sit, Metam. XIV. 514., horrebant densis aspera crura pilis. fast. II. 348. Praecipue vero gaudet montibus, fast. II. 272. 255., atque imprimis in Lycaeo domicilium habet; Met. 1. 698. quare etiam Lycaeus nominatur. fast. II. 424. Habitat autem in antris montium. Met. XIV. 514. Estque deus libidinosus, [3]) qui Nymphas amore persequitur, Met. 1. 699. atque Omphalen noctu opprimere studuit. fast. II. 305. heroid. V. 137. Musica gaudet atque syringem invenit. Met. 1. 698. [4])

Cultum vero Panis secundum Ovidii sententiam Evander in Italiam pertulit; quum fast. II. 279. dicit:

Transtulit Evander silvestria numina secum

. . . .

Inde deum colimus devectaque sacra Pelasgis;

idemque Lupercalia, quae a Lycaeo, monte Arcadico nomen habent, instituit. fast. II. 423. V. 99. [5]) Nominatur autem Pan Latine Faunus atque ea de causa Ovidius fast. II. 424. recte dicere potuit:

»Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet,« saepiusque in poematibus vocabulo Pan et Faunus promiscue usus est.

Cum hac vero sententia, quam Ovidius de Pane et Fauno profert, etiam Horat. carm. III. 18. 1. convenit, qui Faunum deum pastorum, qui greges custodiat, esse vult, eumque Nympharum amatorem v. 1. Venerisque sodalem v. 6. nominat. Simul autem eum deum agricola-

---

27. In quibusdam Ovidii codd. locus fast. II. 286. ita legitur, ut Merkelii scriptura varietur in »subitas concitat ille fugas;« atque haec mutatio ex notissima illa dei qualitate tantum explanari potest.

[1]) Varro. de ling. Lat. V. 85. VI. 13. Serv. ad Verg. Aen. VIII. 341. Quint. 1. 5. 66. Horat. carm. 1. 4. 22.

[2]) cf. Merckel. ad Ov. fast. p. CCII. Rückert. Troja. p. 14. Klausen. Aeneas u. d. Penat. II. p. 844. c. n. 1579. 1580. et p. 1141. c. n. 2307. Stuhr. Relig. Syst. II. p. 311. haec fere de Fauno dicit: »Es lässt sich nicht verkennen, dass Faunus und Pan ursprünglich eines und desselben Wesens sind, und eben desshalb ist man genöthigt, den Ursprung des Dienstes dieser beiden Gottheiten in die Zeit der Pelasger, in welcher die Arkader und die alten Italier sich noch näher standen, zu versetzen.«

[3]) cf. Verg. Georg. III. 392.

Pan, deus Arcadiae captam te Luna fefellit,
In nemora alta vocans, nec tu aspernata vocantem.

Servius in Centimetr. p. 376. Gaisf. de Fauno haec habet: Faune Nympharum metus et voluptas. Faunus vero Nympham basians in tabula Herculanensi pictus est. cf. Musée secret de Naples. T. 32.

[4]) Quod quidem etiam Lucret. de rer. nat. IV. 581. de eo profert. De Pane dicit:

pinea semiferi capitis velamina quassans
unco saepe labro calamos percurrit hiantes
fistula silvestrem ne cesset fundere musam.

cf. Propert. IV. 2. 30. et Verg. Eclog. II. 32. VIII. 24.

[5]) cf. Dionys. Hal. p. 25. Sylb. Francf. 1596. Schol. Plat. p. 315. de Evandro haec habet; *Εὔανδρος ὁ τὸ ἐν Ῥώμῃ τοῦ Πανὸς ἱερὸν τὸ καλούμενον Λούπερκον κτίσας.*

rum habitum esse ex v. 15. concludi licet, ubi haec de festo Fauni die legimus:

Gaudet invisam pepulisse terram
Ter pede fossor. [1])

Sacrificia vero secundum Hor. l. c. v. 5. 7. 8. tener haedus, larga vina, turaque in ara fumantia fuisse videntur. cf. Lambin. ad Hor. carm. I. 4. 11. et 17. 10. Cum his autem et posteriores poëtae Latini, ut Sil. Ital. XIII. 327. sq. et Val. Flaccus III. 46. sq. omnino consentiunt, ita ut eos Panem et Faunum eundem deum habuisse sequi videatur.

Accedit eodem, quod Serv. Verg. Aen. VIII. 600. eum adeo cum Pane secundum Orphicorum doctrinam commutare non dubitat. Dicit enim Faunum non esse deum pecorum et agrorum, sed quod Graeci ὑλικὸν θεόν vocarent, ὕλη autem idem esse, quod materia, significareque rerum omnium primam substantiam.

Haec habui, quae de Fauno ejusque similitudine cum Pane dicere in animo erat, unde sententia eorum, qui vocabulum Faunus a φάω, φαίνω derivatum putant, certe magis ad dei naturam qualitatesque pertinere videtur.

Unum adhuc restat, ut pauca de Panibus sive Paniscis, eorumque a Satyris discrimine dicam.

§. 14.

De Paniscis. [2])

Veteres scriptores saepius Panes sive Paniscos nominant eosque cum Faunis et Silenis et Satyris in montibus versari fingunt. [3])

Discrimen vero inter Silenos, Satyros atque Panes ut constituamus, a Sileno ordiunda disputatio videtur.

Silenus secundum Paus. III. 25. 2. in Malea promontorio natus [4]) atque etiam Marsyas appellatus [5]) daemon aquae fluentis primitus fuisse videtur, [6]) eaque de causa, quum equus aquam fluentem repraesentet, cum cauda equina depingitur. [7]) Postea vero, quum chori Satyrorum, qui cum Dionysi cultu intime cohaerebant, cum Sileno dei educatore conjungerentur, pater Satyrorum nominabatur. [8]) Quare etiam hi non

---

[1]) Serv. ad Verg. Aen. VII. 91. notat, Faunum esse deum terrenum i. e. vim terrae frugiferam, atque, quum quae sub terra sint, saepius noceant, etiam perniciosam.

[2]) cf. quae praeclare Gerhard. Hyp. Roem. Stud. II. p. 104. sq. de discrimine inter Panes et Satyros disseruit.

[3]) Hesiod. ap. Strab. X. p. 471. Satyros a filia Phoronei natos esse dicit. cf. Theocr. Id. IV. 63. Mosch. Idyl. III. 28. Aristoph. Eccles. 1066. Cicero. de nat. deor. III. 17. Ovid. Metam. XIV. heroid. IV. 171. Verg. Culex. 95. cf. Gerhard. Hyp. Roem. Stud. II. p. 113. n. 88.

[4]) Pind. fragm. Heyne. III. p. 118.

[5]) Paus. II. 7. 8.; 22. 9. Böttiger. Att. Mus. 1. 2. p. 354. cf. p. 320.

[6]) Paus. VI. 24. 6. Prop. III. 3. 29. cf. Welcker. Nachtr. z. Tril. p. 214. Gessner. de Sileno et Silenis. comm. Goetting. ant. T. IV. 1782. p. 35. Quare saepius in monumentis antiquis Silenum invenimus, qui ex amphora fontem quendam emittit. cf. Overbeck. Pompeji. p. 372. sq.

[7]) Zeitschrift für alte Kunst. 1. 505.

[8]) Euripid. Cyclops. 268. 271. Poll. IV. 19. 4. Gerhard. Hyp. Roem. Stud. II. p. 105. 62.

aliena sub forma atque Silenus depingendi sunt, praesertim quum inde a patre etiam ejus naturam aquae fluentis desumpserint, atque ea de causa in forma corporum partes equinas contineant. [1])

Discrimen ergo statuendum est inter Satyros atque Panes sive Faunos, qui a principio natura sua divinum quoddam exprimunt. Neque minus sicuti natura divergunt, etiam formae diversitas varietasque constat, quum Panes Faunique partes caprinas gerant et plerumque ithyphallici fingantur. [2])

Sed jam apud veteres ipsos discrimen fere sublatum est; quum Lucretius atque Horatius saepe de capripedibus satyris loquantur. (Locus ille Horatii carm. III. 19. fortasse vocabulo »et« quod inter capripedum satyrorum interponitur, emendari potest, ita ut legendum sit, capripedum et satyrorum.) Atque hoc facile fieri poterat, quoniam si verum est vocabulum *σάτυρος* idem esse ac *τίττυρος* h. e. caper, hircus, etiam in iis describendis forma caprina amplexanda videretur. [3]) Itaque apud poetas praecipue discrimen inter Satyros atque Panes minime servatur, atque ii etiam Satyri nominantur, qui Panes esse videntur; atque omnes locum in choris Dionysiacis praecipue apud scriptores dramatum satyricorum continent. cf. Eurip. Cyclops. Artifices vero qui poëtas sequerentur, usque eo progressi esse videntur; ut nullam omnino silvarum montiumque regionem depingerent, quin Faunis, Paniscis, Satyris ei quasi vitam ingererent. [4])

§. 15.

His, quae supra de Pane ejusque natura exposui, eorum praecipue qui Panem primitus pastorum deum esse volunt, oppositionem effugere nequeo. Quaerent enim, quomodo factum sit, ut si Pan tanta dignitate valuerit, ut summos deos aequaret vel dignitate multos adeo superaret, postero tempore apud plurimos neglectus vel ut daemon quidam agrestis habitus sit.

Haec vero multorum sententia veritate minime nititur, quum ut alio loco explicavi, Pan apud Athenienses illis temporibus publice coli

---

[1]) Paus. I. 23. 7. 8. Epigr. Plat. 15. 16. Xenoph. Anab. 1. 2. 13. Athen. XIV. p. 616. Plato. Symp. p. 215. B. Nonn. Dionys. XIII. 44. Diod. Sicul. 1. 18. 5. *λέγουσι πρὸς αὐτὸν* (Osiridem) *τὸ τῶν Σατύρων γένος, οὓς φασιν ἐπὶ τῆς ὀσφύος ἔχειν κόμας. κ. τ. λ.* cf. Welcker. Nachtr. z. Tril. p. 120. sq. p. 218. n. 116.

[2]) Diod. 1. 88. 30. Gerh. Hyp. Stud. II. 112.

[3]) Welcker. Tril. p. 120. Nachtr. z. Tril. p. 213. sq. Pott. Etym. Forsch. I. p. 225. vocem *σάτυρος* latine tibicem vertit. Toupius in animadv. in schol. Theocrit. (Theocrit. Bion. et Moschi Carmin. c. Conment. Valcken. Brunck. Toup. Berol. 1810. T. II. p. 497.) locum scholiastae ad Theocr. IV. 63. *τοὺς Σατύρους οἱ πλειονές φασιν ὡς καὶ τοὺς Σειληνοὺς καὶ Πᾶνας* non cum Casaubono interpretatur, ut post *φασιν* interjiciat *ἀκρατεῖς*, sed tum Satyros, tum Silenos a nonnullis Panes appellari vult; id quod Aeschylus in Glauco, Sophocles in Andromeda fecerit.

[4]) In antiqua de Pane fabula Panes sive Paniscos commemoratos non invenimus et tum primum orti esse videntur, quum Pan in formam daemonis silvestris et agrestis redactus esset. Nam si Pan daemon silvis praeesse putaretur, ii qui singulis arboribus, singulisque silvarum partibus praeesse putabuntur daemones, quasi filii ejus erant, atque cum Pane quasi unam familiam constituebant. Praecipue vero jocosum ridiculumqae illud quod in cultu Panis per poëtas comicos ortum praecipue esse atque divulgatum contendimus, multum valuisse videtur, ut quasi multos Panes eosque minores et majores in agris silvisque circumvagantes fingerent; infantesque illos capripedes, pilosos, cornua parva gestantes describerent.

coeptus sit, quibus respublica et potestate et opibus plurimum valeret. Accedit eodem, quod poetae illius temporis si de Pane mentionem faciunt, dignitatem ejus praestantissimam excellentissimamque fuisse profiteantur; atque commutatio illa tum demum facta sit, quum omnis omnino religio in pravius converteretur.

Sed ut sententia vera sit, pauca tantum respondere placet. Quis est qui nesciat aliquando Chronum maximum inter Graecos deos numen fuisse atque postero tempore regem insularum felicium; [1]) quis est qui nesciat, etiam in cultu Jovis et Hephaesti multa postero tempore mutata atque ad alia numina relata esse?

Accedit eodem, quod alio loco explicavi, Panem principio deum partis cujusdam populi fuisse et ejus quidem partis, quae quum ipsa oppressa esset, cultum religionemque suam in publicum producere nequiret.

Praeterea in religione atque cultu populi cujusdam sicut in reipublicae ejus forma multa semper commutata atque conversa invenimus, praesertim quum quid in iis conformandis mutandisque philosophi atque poëtae valuerint, neminem effugere possit. [2])

Quid mirum igitur, si quos primis temporibus et antiquissimo cultu deos vocatos invenimus, eos postero deinceps tempore inter daemonum numerum redactos legamus? Equidem quum apud Porphyrium de abst. II. 37. p. 171. inveniam, daemonum varios esse ordines, et eorum, qui ab hominibus sicut dii honorarentur atque eorum, qui a singulis in deorum numerum recepti essent, minime miror; quum quod studium jam inde ab Hesiodi temporibus valuerit, et per omne deinceps tempus neglectum non sit, illud ex his verbis eluceat.

Sin autem etiam externae causae satis validae ad totam naturam populi alicujus formandam atque mutandam exstent, quid mirum, si deorum quoque cultum ejus permutatum et quas ante habuerit ideas, ut vocabulo Graeco utar, eas ab aliis victas atque repressas inveniamus? Quis autem est, qui nesciat, Graeciam antiquo tempore novis saepe rebus novisque studiis paene esse dilaceratam; quem fugit, populos gentesque in ea saepius sedes commutasse sedibusque mutatis etiam alia instituta legesque alias recepisse?

Mansit tamen, ut mihi probatum puto, quaedam pristini temporis pristinaeque religionis in cultu Panis memoria; pristinaeque magnitudinis vestigia in cultu ejus cognoscenda sunt.

2) Sed ad alteram quaestionem explicandam pauca verba facere placet. Quaeritur enim, quomodo Pan cum Jove, quem Arcades venerabantur, Lycaeo sociari poterat, quum ipse lumen solare natura sua explicuerit?

Zeus *Λυκαῖος* apud Arcades, uti ex cultu apparet, duplici munere functus est. Primum quidem rex atque salvator ut ita dicam gentis Arcadicae, qui tutelam terrae atque incolarum ageret, fuisse videtur, uti ex inscriptione, quam Arcades post necem Aristocratis regis columnae cuidam inscripserant, apparet; (Paus. IV. 22. 4. Polyb. IV. 33.)

Χαῖρε Ζεῦ βασιλεῦ καὶ σάον Ἀρκαδίαν.

Simul autem eum deum fuisse censeo, qui felicem Arcadiae statum atque frugum fertilitatem pluviis salubribus praeberet. Erat igi-

---

[1]) Hesiod. Opp. et dies. 169. Pind. Olymp. II. 70. Plato Phileb. 270. D. cf. Lobeck. Aglaopham. p. 511. Schoemann. Opusc. Ac. II. p. 55. complures deos antiquo tempore summis honoribus habitos, postea vero delapsos commemorat.

[2]) cf. Eckermann. Lehrb. der Relig. u. Myth. T. 1. p. 269. sq.

tur Aether, qui pluvias contineret easque in terram effunderet. Paus. VIII. 38. 3. Sed ex hoc loco Pausaniae etiam illud apparet, cultum Jovis Lycaei generalem, qui ad omnes pertineret non fuisse, sed quum, ne quis in templum ejus ingrederetur, lege prohibitum esset, cultum ipsum arcanum vel familiarum singularum fuisse puto.

Quare, quod ad rationem inter Jovem Lycaeum Panemque adtinet, illa, quam supra proposui de diverso inter optimates atque plebem cultu amplexanda sententia est, atque illud statuendum, Jovem Lycaeum summum optimatum deum fuisse. Quoniam vero non solum Zeus Lycaeus, sed etiam Pan vim solarem explicet, sol ipse autem duplicem vim contineat, primum ut luceat resque omnes inspiciat, lucemque iis praebeat, deinde ut radiis etiam suis vitam seminaque rerum eliciat, contendere jam licet, postero tempore hanc vim ad Panem praecipue pertinuisse, ad Jovem Lycaeum illam. Pan igitur summus pastorum plebisque minoris ordinis deus fuisse videtur; sententiamque illam, quam Welckerus Griech. Gttrl. p. 224., profert quidem, sed omnino confirmare non audet:

> Haben also wohl einzelne Griechenstämme, hirtliche Gottheiten und da Pan, Helios, Apollo *Καρνεῖος* Hirtengötter waren; . . . . . den Helios statt den Zeus als den höchsten Gott verehrt?

ego quidem affirmandam puto. Nam quod ad Corinthum atque Elidem pertinet veritate certe nititur, primitus cultum Solis sive Helii antiquissimum fuisse, eumque postero tempore aliis cultus formis magis magisque evanuisse; (Schoemann. Gr. Alterth. II. 152.) in Arcadia vero ratio inter Panem Jovemque Lycaeum sententiam illam magnopere probabilem reddit.

3) Itaque cultus Panis, quem Pelasgi jam antiquissimis temporibus habebant, in duas partes divisus est; quarum altera cultum Panis, altera Fauni continebat. Cultus autem Panis praecipue apud Arcades atque Atticos praeterea etiam in insulis valebat, et cum Fauni cultu maximam similitudinem habuit. Neque minus cum Aegyptiorum religione conveniebat, et quum postero tempore in hanc terram quasi iterum immigrasset, inde sub forma quadam recenti, quam Orphici coluerunt, denuo divulgatus est, multasque fabulas de ceteris numinibus narratas secum conjunxit atque consociavit; ita ut Macrobii Sat. 1. 17. 4. praeclare dictum comprobatum sit:

> »Diversae virtutes solis nomina dîs dederunt, unde *ἓν τὸ πᾶν* sapientum principes prodiderunt.«

[illegible] complurias continuit, atque intelexit [illegible] hoc loco Euthimius etiam [illegible] generalem qui et crebas prohiberet [illegible] in templum eius ingrederetur lege prohibitum [illegible] arcanum vel familiarem singulorum [illegible]

[illegible] quod ad rationem inter Jovem [illegible] supra propositae diverso [illegible] sententia est, atque illa [illegible] summum [illegible] deum fuisse. Quoniam [illegible] cocas [illegible] Pan vim solarem [illegible] vim [illegible] ut facent res [illegible] praebeat, deinde ut [illegible] contendere jam licet, post [illegible] pertinuisse ad Jovem [illegible] phicaque inferis ordinis [illegible] Welckerus (Griech. Götterl. [illegible]) [illegible] non addit:

[illegible] Haben also [illegible]
Becher und die [illegible]
waltung [illegible]
Gott verlügt?

Ego quidem [illegible] [illegible]
dem [illegible] [illegible]
tuisissime [illegible], cumque [illegible]
magicum [illegible]
ratio [illegible]
indiciem reddi.

8) Ideque [illegible] 11 Dolass [illegible]
ludibant, in Aves [illegible] est; magnam
tem [illegible]. Unitas [illegible]
atque [illegible] in [illegible]
maxima [illegible]
gicae [illegible]
rum [illegible]
runt, [illegible]
ratas [illegible]
praec [illegible]
»[illegible]
ac [illegible]